A 5. Mirandum naturæ artificium, quæ in facie arcanum neicio quod inclusérit, ut quævis facies alicui arridere possit. Etenim nulla facies tam deformis apparet, quæ alicui aspicienti non arrideat.

6. Dignitas & decor in rotunditate, forma sublimi & erecta, nuda, aperta, glaba, implumis, sine squammis, uranoscopus.

7. Elegantia, suavitas, venustas adeò lepida grataque, ut corda surripiat, affectus alliciat & trahat volentes. In summa, faciem nominamus pulchritudinis & amoris thronum, risus & osculi sedem. Hæc duo autem homini conveniunt, nempè gravissima, certa, expressa amicitiæ mutuæque benevolentiæ symbola.

8. Cunctis mutationibus internas animæ passiones & velitationes aperientibus humana facies aptata cernitur, testibus lætitia, tristitia, amore, odio, livore, malitia, verecundia, iracundia, stomachatione, zelotypia: aliis index est horologii, temporum intervalla momentaque demonstrans, cujus machinæ ac rotæ intùs moventur. Aer est, in quo colores, temporisque mutationes omnes recipit, & μικροκόσμῳ ſta-
B tum declarat. Galli eo sensu de faciei aere (*De l'air du visage*) loquuntur. Corpus animam tegit &] detegit: in facie legitur homo.

9. In fronte patula, quadrata, exporrecta, aperta, serena; superciliis rectè dispositis, tenuibus, levibus; oculis apertis, lætis, micantibus; naso oblongo, ore pusillo, labiis corallinis, buccis modicùm obesis in medio, quarum grati gelasini fedes, auriculis rotundis & brevibus, faciei vivido, albo, rubro colore insignitæ decor, pulchritudoque consistit. Hanc effigiem multi improbant. Apud Indos color mustellinus, labia crassa, nasus reprandus, dentes nigri vel rubri, auriculæ patulæ & oblongæ; mulieribus frons brevis & pilosa, mamillæ monstruosæ, quæ ob longitudinem supra humeros infantulis lactentibus præbentur, summa putatur venustas.

10. Hispanis, ne longiùs abeamus, macilentæ facies, Italis carnosæ placent admodùm. Alii molli & tenera, alii rigida, mascula & superba delectantur.

11. Corporis verò ipsa decora formositas; facies præsertim testis est, vel esse debet pulchritudinis internæ. Hæc au-
C tem in eo consistit, ut æqualia rectaque sint judicia, atque in iis retinendis & conservandis constans perseverantia. Nihil enim verisimilius videtur, quàm corporis & animæ conformitas atque relatio. Si absit, aliquid accidisse putandum est, quod naturæ ordinem abrupit: sicuti sæpiùs factum apparuit. Lac enim nutricis, prima educatio, consortia, teneris animis miras convertsiones in bonum, vel in malum adferunt.

12. Fatebatur Socrates, faciei suæ deformitatem satis superque detegere pudendos animæ defectus, quos philosophiæ consiliis emendaverat. Cæterùm vultus simulatus, periculosus debilisque, est animæ fidejussor. At quicumque physiognomiam suam explodunt, graviore supplicio digni reputantur, utpotè qui corrumpunt atque produnt, quam in frontibus ipsorum natura laudatam promissionem insculpsit, & cæteris hominibus fucum faciunt. *Petr. Varro, in tract. de hominis opificio, c. 14. 2. partis, sect. 5.*

ANIMI MORUMQUE INDEX
Facies.

D Plerumque ex facie & externo corporis habitu animus elucet: & prout diversæ rerum imagines animum percellunt, ita etiam varium in faciei constitutione habitum inducunt, & figuras motuum internorum indices imprimunt: modò iratum videmus, modò blandum vultum, modò tristem, nunc hilarem. Exempla pauca addemus vitiorum & virtutum, quæ ex sola faciei habitudine, corporis adfectu, prudentiores eliciuere.

VITIORUM INDEX.

De vitiis habemus insigne exemplum in Juliano Cæsare, qui vulgò Apostata dictus est: Nazianzenus enim quamprimùm eum aspexit, conjecturam de suis moribus & ingenio sumpsit. Hæc sunt ejus verba, *orat. 2. contra gentiles*, & refert *Socrates lib. 3. capit. 19. Hist. Eccles.* Fecit me vatem gestuum ipsius deformitas, & ingens admiratio; siquidem optimus est vates, qui ex conjecturis optimè ratiocinatur. Nequaquam verò mihi hæc boni hominis signa esse videbantur: E colli crebræ conversiones: humeri alternis subsultantes: oculi torvi, vagabundi, & furiosum quiddam contuentes: pedes instabiles, crebræ geniculationes. Nasus contumeliam & contemptum spirans. Figura vultus derisionem significans, quomodo variabatur? Risus crebri altùm crepantes: nutus, renutus sine sermone, sermo interruptus, non complens sententiam, interrogationes crebræ & stultæ, responsiones inconcinnæ & coacervatæ, inter se dissidentes, & sine ordine. Quis singula describat? Talem vidi ante facta, qualem postea facta ipsa ostenderunt. Ut adessent, qui tunc mecum fuerunt, & eadem viderunt, testes essent hujus meæ narrationis: qui meminerint etiam me edidisse hanc vocem: Quantam pestem Romana Monarchia nunc alit!

VIRTUTIS ET EXCELLENTIÆ.

De hac re habemus exemplum in Ulysse: Eum enim naufragio ejectum in littore, nudum vestibus, virtute tamen ornatum, Phæacum multitudo conspiciens, cæteris fortunatis F Phæacibus venerabiliorem admirata est. Quamobrem & Poetarum princeps Homerus subjicit, debere virtutem mortalibus esse curæ. Magna enim, teste Plutarcho, est vis virtutis apud omnes gentes: cum non solùm bonos, sed etiam improbos ad se amandum alliciat.

Alterum non minùs memorabile est in Trajano; qui cum Agarenos in urbe quadam, ut refert Dio, obsedisset, ejusque muros sine regio ornatu, ut hostem falleret, circumiisset: Generosa, inquit, canicies & oris majestas principem prodidit: & quis foret in ementito habitu, facilè ostendebat. In eum igitur hostes, quem Regem suspicati erant, sagittas frequentes conjecere: quarum tanta vis fuit, ut qui penè Cæsarem sequebatur, transfixus fuerit. Siquidem, teste Qu. Curtio (*libro 6. de gestis* Alexand. M.) hominibus barbaris in corporum majestate veneratio est: magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est. *Phil. Camer. in hor. succis.*

Suetonius quoque de Vespasiano scribit, quòd in puero statim corporis animique dotes explenduerint magis ac G magis deinceps per ætatis gradus, forma egregia, & cui non minùs authoritatis inesset, quàm gratiæ. *Idem.*

Sic de oculis habemus egregium exemplum apud Livium *libro 7. decad.* 1. Memoriæ enim tradidit, quòd oculi Romanorum visi sint ardere in prælio Samnitibus.

Et Aquilejenses milites, qui subitò eruptione ex occulto cuniculo facta Attilam paucis comitatum invaserant (quem tamen non noverant) postea fassi sunt, se nulla re magis perterrefactos fuisse, quàm quòd in oculis ejus scintillas velut igneas, cum pugnans eos fremebundus aspiceret, emicantes conspexerint: sicut Nicolaus Olaus scribit. Non frustra igitur Cornelius Tacitus dicit: Primi in omnibus prælii oculi vincuntur.

Sic in historiis legimus, C. Marium, à Minturnensibus percussorem immissum vultus authoritate deterruisse: ob eamque rem incolumem dimissum, ut Plinius testatur. *Idem. Philip. Camer. in horis succisivis.*

FACIES NON DETURPANDA
Characterum notis.

H Quamvis pleraque Imperatorum decreta, certa stigmata inuri velint plerisque malefactoribus, idque certis duntaxat corporis membris; tamen etiam apud plerosque Gentiles cautum semper fuit, ne facies, eorum impressione fœdaretur. Quamvis Romæ calumniatorum frontibus inustam olim litteram, L, Z, *Cicero pro Roscio Amerino* testetur.

Constantini Imperat. lex talis est, *L. si quis in metall. 17. de pœn. lib. 9. c. tit. 47.* Si quis, inquit, in metallum fuerit pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minimè in ejus facie scribatur, cùm & in manibus, & in suris posset pœna damnationis una inscriptione comprehendi, qua facies, quæ ad similitudinem cœlestis imaginis figurata, minimè maculetur.

☞ *Consule locum de Fuco. Item de notis servilibus In loco de Scriptione.*

Facilitas.

A Facilitas.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

Facilitas, ἐυκολία Græcè, est promptitudo ad quidpiam absque difficultate & expeditè faciendum, sive inclinatio ad eandem. Ubi sub verbo faciendi, etiam comprehendimus sermonem vel orationem. Ita dicimus quempiam facilem in carmine, oratione soluta, &c. Differt à propensione, quæ & proclivitas dicitur, quòd plerumque hæc accipiatur in partem deteriorem.

¶ FACILITAS IN IMITANDO, Inveniendo, Docendo, Discendo, Scribendo, Dicendo.

☞ *sub suis locis, Inventio, Imitatio, Disciplina, Scriptio, Dictio facilis.*

¶ COMMENTANDO.

B Cùm de cæde in sylva Scantia facta publicani accusarentur, & C. Lælius pro publicanis bis dixisset, verùm à Ser. Galba meliùs causam illam defendi posse arbitraretur, quòd in dicendo fortior actiorque esset: auctoritate Lælii, publicani causam ad Galbam detulerunt. Ille autem, quòd ei viro succedendum esset, verecundè & dubitanter recepit; unum quasi comperendinatus medium diem fuit, eumque totum in consideranda causa componendaque posuit. Et cùm cognitionis dies adesset, Petrus Rutilius rogatu sociorum domum ad Galbam manè venit, ut eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret. Galba verò, usquequò ei nunciatum esset Consules descendisse, omnibus exclusis commentatus est in quadam testudine cum servis litteratis, quorum aliud alii dictare eodem tempore, & si errassent, malè eos multare solebat. Interim cùm esset ei nunciatum, tempus esse, in ædes exivit eo colore, & iis oculis, ut egisse jam causam, non commentatus videretur. Ex quo colligi poterat, illum non in agendo solùm, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. Magna itaque ex-
C pectatione, plurimis audientibus, tanta vi gravitateque dixit, ut nulla ferè pars orationis silentio præteriretur. *Cicero in Bruto.*

¶ VERSUS FACIENDO.

L. Annæus Seneca moriens jam in solo aquæ calidæ, Epitaphium carmine sibi ipsi composuit.

Boetius Severinus Rom. patricius mira fuit in versibus facilitate. *Giraldus de poetis.*

Cicero dexteritate in versibus condendis animi gratia utebatur. Dicitur, cùm ad id ferretur, carmina facere una nocte quingenta solitus. *Plutarchus in Cicerone. Quære Titulum de Carmine.*

¶ ORACULA DANDO.

Pythia sacerdos Apollinis nondum rogata, ex tempore dictiones aliquando dare solebat. Quippe cui servit; Deus
D Καὶ κωφῦ ξωιίνοι, κ ὁ λαλοντ⊙· δίκωσι.
Et tacitum exaudit, mutumque intelligit omnem. Plut. de Garrulitate.

* RES LEVES TRACTANDO.

In causa facili civis quemvis licet esse disertum,
Et minimæ vires frangere quassa valent.
Subruere est arces, & stantia mœnia virtus.
Quamlibet ignavi præcipitata premunt.

Ovidius l. 3. Trist. Eleg. 11. Similiter Manlius ait:

——Facile est ventis dare vela secundis,
Fœcundumque solum varias agitare per artes,
Auroque atque ebori decus addere, cum rudis ipsa
Materies niteat, &c.

E * Factio, Factiosi.

DEFINITIO ET USURPATIO NOMINIS, ITEM Finis In Genere.

Factio & factiosus, *teste Festo*, initio honesta vocabula erant; unde, inquit, adhuc factiones histrionum & quadrigatorum dicuntur: modò autem nomine Factionis, seditio, arma vocantur, συμμορίαι; imò & αἱρέσεις Græcis dictæ. Et definiuntur, malorum conspirationes. Nonius Marcellus, & opulentiam rerum, abundantiam & nobilitatem, significare Factionem notat; sed maximè factionem dici malorum consensum & conspirationem. Ut & dixit *Salustius in bello Jugurthino*, inter bonos amicitiam, inter malos factionem. Fuerunt enim ab omni seculo ferè ubique tales factiones, vel bonæ ad bonum, ad se defendendum, & se mutuò juvandum; vel malæ ad invadendum respublicas, aut regnum, aut magnates, aut ad obsistendum justè vel injustè potestatibus. F

FACTIONUM, ET FACTIOSORUM Exempla.

Fuerunt in Sicilia factiones partium: & in omni Græcia, ut Doricæ potissimùm & Jonicæ. Inter Dores erant Lacedæmonii: inter Jones Athenienses. Athenas quoque in tres factiones divisas referunt, in Diachreos, Pædios, & Paralios: aliquando in duas, Thucydidis unam, Periclis alteram: aut in Plebejorum, cui Poliarchon; & Optimatum, cui Cassander præerat. Nonnumquam in plures, & Thessaliæ factiones divisæ in Egestaretes & Petieros: & in Argo, Aristippi & Aristæi. Apud Milesios, una Plutis, altera Cheromacha factio fuit: sicut apud Carthaginenses, Barchina, & Hannonis. *Æmilius Probus in Phocione.* Etiam in Circo apud Romanos quatuor genera factionum erant, sive potiùs quatuor aurigantium factiones, pannorum coloribus distinctæ Meminit Sidonius.

Micant colores,
Albus, & Venetus, virens, rubensque. Vide Cassiodor. l. 3. Epistol. G

☞ *Plura exempla petantur ex loco de Inimicitia Tit. Factiones Politicæ.*

FACTIONUM EFFECTUS ET FINIS In specie.

Subversio Rerumpublicarum, Regnorum, &c.

Etiam ex loco allegato pleraque desumi non importunè poterunt, quibus sequentia adjiciemus, è quibus constabit, verum esse illud Baldi Jurisconsulti dictum, partialitatem in civitate & Regno, esse instar vermis in caseo: ac non malè Platonem dixisse *lib. 3. In Menexeno*, quòd Athenienses (idem obtinet in aliis factiosis) suis ipsorum dissidiis oppressi fuissent. Neque enim alius inter claros viros ac potentes exitus discordiarum esse solet, nisi aut interitus universus, H aut victoris dominatus.

Olim statum rei Romanæ subvertit crudelis seditio, quæ hinc Cæsarem, illinc Pompejum complectebatur. Quippè inquit *L. Florus lib. 4. Rer. Romanar.* si duces inspicias, universa multitudo divisa fuit in partes, & ipse Senatus, & exercitus; hinc undecim legiones, inde 10. & 8. flos omnis & robur sanguinis Italici: item divisa auxilia sociorum, Gallici Germanici delectus: hic secuta dominatio unius Julii Cæsaris, suis ipsis viribus pereunte Roman. Republ. Vetus est proverbium: Concordia res parvas crescere, discordia maximas labi & corruere: quæ & de Rep. qualibet dicta esse non ambigitur.

Narrant Historiographi, quantum detrimenti Britanniæ seu Anglia receperit ex factionibus, quas vocant partialitates, domorum seu familiarum Leucastri, & de Joriz. Quantùm item in Anglia nocuerit factio duarum domorum, Aureliæ, & Burgundiæ, quæ cœpit inter Ludovicum ducem, Aurelianensem Fratrem Caroli VI. Regis Galliarum, & Joan-

A & Joannem ducem Burgundiæ tumultus, clades, cædes, quæ per sexaginta annos perseverarunt, docent abundè, *Philippus Comineus libro 3. cap. 27. plenè Polydor. Virg. libro 24. historiæ Angl.*

Anno Domini 990. Mediolani ingens seditio exarsit, quæ novam Reipublicæ mutationem induxit; quippè Bonifacius Dux ab Imperatore Ottone I. constitutus, Gothefredo Archiepiscopo mortuo, dignitatem illam ab Othone III. Landulpho filio suo impetravit, populoque Landulphum repudiante, ad arma ventum est. Bonicius in lectulo clam confossus: Landulphum verò, cùm ducis præfecturam mandari fratri suo natu proximo vellet, populus ira percitus, urbe cum fautoribus ejus exegit, ac ducis Magistratum abrogavit, consules qui regerent civitatem, more etiam in Italia instituto, creavit. Atque hæc seditio civitatem Mediolanensem in duas partes distraxit, nobilitatem, & plebem; quo veneno semel infecta, nunquam postea planè invaluit. *Sigonius lib. 7. belli Italici.*

Nec est quòd aliunde, aut à dissito ævo exempla petamus. Habemus proh dolor! nimis domestica & propinqua. Quis B enim ignorat, omnis calamitatis quæ in Belgicas ditiones, olim Christiani orbis delicias, effusæ ab hinc annos quinquaginta fuerunt, fontem fuisse, atque earundem etiam quæ hodie easdem pessundant & exitio dant, adhuc esse, natio-nem variarum studia & conatus diversos? Dum enim commune bonum ad se quisque distrahere laborat, reique summam penes se esse contendit, parùm solicitus de regiarum opum dispendio, aut patriæ utilitate, dummodò Rex Catholicus cautè expileturˌ, ac quàm optimè & lautè illis omnia succedant, interit pristinus Religionis, concordiæ, & negotiationis vigor, cunctaque dilabuntur.

FACTIONES COERCERE, VETARE, IMPEDIRE, QUIBUS MODIS?

Nempe.

CONCILIABULORUM DISSIPATIONE.

C Cum factiones aliud non sint, quàm juratæ quædam improborum aut malevolorum in unam conspirationem ad malum coitiones, omninò convenit eas impedire, etiamsi prætextu causæ alias licitæ congregarentur. Declaratur sub Arcadio, & Honorio CC. reus læsæ majestatis, quisquis cum militibus, vel privatis, vel barbaris, scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius acceperit sacramentum, vel dederit; & puniendum gladio, adjectis bonis fisco, *l. quisquis 5. & l. fin. ad l. Iul. majesta. C. lib. 9. tit. 8.* cujus pœna amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur. §. *publica autem judicia de publ. judi. ad Justinia.*

Helvetii in suis confœderationibus stabilitis suis rebuspub. post expulsos principes, caverunt, ne qui ex confœderatis, cum aliis non comprehensis factionem, societatemve novam inirent, sine consensu totius societatis, & pagorum & confœderatorum.

Reges quoque Galliæ habito comitiorum Concilio, prohibuerunt omnibus regnicolis & subditis, sub pœna criminis læsæ majestatis, societatem seu liguam inire cum aliis principibus extraneis, nevè ad illos litteras christas mitterent, D aut ab illis acciperent, seu ab illorum subditis de rebus status & causis regni, sine expressa regis licentia. *In Edicto Caroli IX. de pacificatione, edito 1562. artic. 5. & in edict. 1563. articul. 7. & 9. in edicto Henrici III. & constitutionibus comitiorum Blesensium anni 1579. artic. 183. & in constitution. anni 1580. artic. 44.*

CONTENTIONUM INTER NOBILIORES SUPPRESSIONE.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 8. & 5. adfert præcautionem contra factiones, ut nobilium contentiones & partes, quas dicunt nunc partialitates, legibus expresè latis prohibeantur. Nobilium enim factiones facilè in partes discindunt populum: & Mecœnas existimavit optimum pro conservatione Reipublicæ, & ita suasit Cæsari Augusto, inimicitias omnes & ambitiosa certamina prorsus exscindere, adeò ut nec nomina nova, aut quidpiam aliud, ex quo diffidia oriri possint, permittantur. Et si orientur, statim in initio comprimi. *Dio Cassius lib. 52.*

E

ALTERUTRIUS FACTIONIS PARTES SEQUENDO.

Quod tamen problemate adseritur.

Arbitrantur nonnulli, legem Solonis quandam ad remedium factionum & conjurationum pertinere; quæ juberut sub capitali pœna, in seditionibus & factionibus alterutram partem sequi; sic enim ait: Si ob discordiam dissensionemque seditio atque dissensio populi in duas partes fieret, & ob eam causam irritatis animis utrimque arma caperentur, pugnareturque: tum qui eo tempore eoque casu civilis discordiæ, non in alterutra parte sese adjunxerit; sed solitarius separatusque à communi malo civitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exul extorrisque esto. Quam legem quidam non ad augendam, sed ad finiendam seditionem pertinere dicebant, quia si boni, ut putabant, homines, qui principio coercendæ seditionis impares fuerint, populumque percitum ira, & amentem non deterruerint, ad alterutram temperari, ac regi cœperint: concordia potissimùm per eos restitui, conciliarique possit, dum F suos, apud quos sunt, regunt, ac mirificant, & adversarios servatos magis cupiunt, quàm perditos. Et hoc idem Phavorinus Philosophus inter fratres quoque ac amicos dissidentes oportere fieri censebat, ut refert *Gellius libro 2. cap. 12.*

Aliis pluribus, Solonis lex meliori judicio videtur in omnibus rejicienda: sive agatur de factione in Democratia, vel in alia specie reipub. suborta. Nam & Solon ipsemet factoviderat legem suam reprobasse: Seditione enim inter urbanos agrestes maritimos exorta, neutrarum se partium fecit. *Diogenes in ejus vita lib. 1.*

Cicero ad Atticum scribens: Ego verò, inquit, Solonis popularis tui, & ut puto etiam mei, legem negligam, qui capite sanxit: si quis in seditione non alterutrius partis fuisset, nisi tu aliter censes, & hinc abero, & filii: &c. Bellum etiam non est legitimum, quod inter se cives gerunt; idcò qui se seditiosis vel divisis non junxerit, argui non debet hostilitatis.

Ajunt, gloriari solitum Quint. Hortensium, quòd nunquam civili bello interfuisset. *Cicero lib. 2. familiar. Epist. Epist. 16.* G

Fertur quoque Asinii Pollionis factum, ac dictum memorabile: qui cum rogaretur à Cæsare, ut secum proficisceretur ad bellum Acticum: Ego, inquit, discrimine vestro me subtraham, & ero præda victoris. *Vellejus Paterculus lib. 2. Histor.*

Et Cicero ad Atticum lib. P. Epist. 4. Melioris, inquit, medius fidius civis, & viri puto: quovis supplicio affici, quàm illi crudelitati non solùm præesse, verùm etiam interesse.

Facultates.

Puta, sensitive, vegetative, motive, naturales.
☞ *Petantur ex loco de Corpore. Tit. Partium corporis motus.*

Fallacia. Falsitas. Fallere. H

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

Fallacia, quæ alio nomine dicitur locus sophisticus, quia scilicet est causa fallendi, quantùm est de se; licèt aliquis non fallatur per ipsum in actu, nisi ignorantia adveniente. *B. Thom. opusc. 39. c. 1. final.*

Fallacia à fando dicitur, ut Varroni placet, quòd fandò decipiamus, & contra quàm diximus, faciamus. Et fallax appellatur, qui mentiendo decipit.

Fallacia, Græcè ἐξαπάτη. Hebr. variis vocibus fallacias multiplices depingunt. 1. *Beghedh.* prævaricatio, excursi, vestis quæ diffluit, & excurrendo aperitur, à verbo *Bughadh*, transgressus est metam, cucurrit extra lineam; quemadmodum vestis à superbè incedentibus variè discurit suas flexuras. Ità fallaces homines suas imposturas (Gall. *Bagatelles*) paulatim explicant. 2. *Hethel.* id est, dolosus fuit, fallaciter egit, fefellit nugis & mendaciis. Cognationem habet cum *Talah.* suspendit; nam suspensum aliquem tenere vanis promissis, est fallere.

Hinc

A Hinc Græcè, ὀθλέω, nugis aliquem decipio: ὀθλοι, nugæ; *Heb. hathulim*, & *hathalloth*, *Iob. 17. 2. Esa. 30. 10. 8. Bachasch.* verbum signif. negavit, denegavit, mentitus est. Cognationem habet cum *Schachah*, oblitus est, & *Caschac*, obtenebratus: Fallaces enim memores non sunt, sed tenebricosis involuti. A verbo fit nomen idem, *Caschash.* fallacia, mendacium, denegatio; *Osea 10. 13. Nahum 3. 1. 4.* A verbo *Cazab*, mentitus est, fefellit (cognationem habente cum *Caschaph*, fascinavit) fluit nomen *Cazab*, & *Achzab*, mendacium, fallacia, falsitas, *Ps. 5. 7. Mich. 1. 14. 5.* Verbum *Pittah.* in secunda conjugatione, sign. illexit, decepit; cognationem habet cum *Phatha*, fatuus; fatui enim facilè credunt & persuadentur. Hinc πείθω, suadeo ἀπατάω, decipio, *Pethi*, fatuus, qui facilè fallitur, *Pethajuth*: persuasio, fallacia, fatuitas, ejus respectu qui fallitur.

Falsitas, Græcè ψεῦδος, ac mendacium, ψεῦδος, mendax. Est autem falsitas, qua putatur esse, quod non est, *secund. August. 7. lib. Confession.*

FALLERE, DECIPERE, CIRCUMVENIRE.

¶ *Mendacii, Simulationis, Dissimulationis sive Effectus, sive Adjunctum est Dolus. Qui tum modo Prudentiæ, modò*
B *Astutiæ proxenetam agat, ex iis locis illustrandus erit. Hic respectu Functionis animi, quam comitatur tam activè quàm passivè, considerandus.*

¶ QUI QUOS.

Reges, Subditos.

Joanne Francorum rege ab Anglis capto, & Carolo Delphino F. patrem recipere contendente, quinquaginta ex Francia viri optimates Delphini ætati diffisi, petebant ab eo jusjurandum, non enunciaturum, quæ ex se audiret. Ille majestatis tuendæ gratia istud renuit, jussitque, sibi injurato ea dicere quæ sentirent. Illi inter cætera petebant, ut ex sacerdotio, nobilitate & plebe duodeviginti viri eligerentur, quorum consilio ipsius adolescentia niteretur. Ille leges hac ratione sibi imponi, præceptaque dari, seditiosisque audaciam præberi animadvertens diem quinquaginta istis viris indixit, qua de postulatis eorum cogniturus esset. Ea instante, causatus allatas ex Anglia à patre literas de rebus moram non ferentibus, exin aliis atque aliis frustrationibus dies trahens, moræ tædio 50. viros sic affecit, ut re infecta domum diversi reverterentur. *Aemilius lib. 9.*

¶ QUOMODO.

C *Jurejurando.*

Lysander pueros astragalis, viros sacramentis decipiendos esse affirmabat. *Plutarchus.*

¶ CUR. CAUSA.

Reipublicæ.

In cæteris ædibus Dianæ cervorum cornua figebantur olim: at boum in Aventino. Nam bos in Sabinis nata Antroni Coratio dicitur fuisse mira specie, & magnitudine præter cætera præcellente. Cui cum nunciasset vates quidam, cujus civitatis civis eam in Aventino immolasset, hanc in fatis esse maximam, atque ibi totius Italiæ imperium fore: profectus est Romam homo, ut bovem immolaret. Eo vaticinio ad reges à servo delato Servium, à quo ad Cornelium antistitem: Cornelius Antroni præcepit, ut ante sacrificium aqua Tiberis perfunderet se: quod erat solemne iis, qui litare cupiebant. Illo ad amnem digresso, maturavit Servius immolare Dianæ bovem, ac cornua in templo fixit. Hæc Juba scripta reliquit & Varro: nisi quòd nomen Varro non prodidit Antronis, neque à Cornelio tradit sacerdote: Verùm ab ædituo delusum Sabinum. *Plutarchus in quæstionibus Romanis.*

D *Fallentes in ponderibus, mensuris, moneta, quomodo puniantur, vide Pœna.*

Falsariorum pœna. Quære in loco de Punitione, sive Pœna.

---

* Fama.

DEFINITIO ET ETYMOL.

Fama, Gr. φήμη, vel φωμη, est illæsæ dignitatis status, legibus & moribus comprobatus.

Fama est inanis de aliqua re rumor, sive bonus, sive malus. Et hoc tantùm differt à rumore, quòd rumor semper de re recenti dicitur: fama etiam de re inveterata firmataque in hominum opinione, quamvis incerta.

Famam à fando dici putant, ut sit, quicquid de aliquo divulgatur, sive in bonum, sive in malum.

Hebr. *Schemah*, auditus, à verbo *Schamach*, audivit; nihil enim aliud est fama, quàm rumor quidam per aures sparsus, & longè latèque postea delatus.

Fama Dea, terræ filia dicitur. Nam cum bellum ob regni cupiditatem inter Gigantes Titanis ac terræ filios, & Jovem esset exortum, jamque passim Terræ filii à Jove ac cæteris diis trucidarentur, percita nimio dolore Terra, quum sibi adversùs E hostes tam potentes arma deesset, ulcisci tamen, quacunque via posset, illatam sibi injuriam cogitans, coacta utero, Famam enixa est, quæ Superum scelera per orbem terrarum disseminaret.

DESCRIPTIO APUD POETAS.

Virg. 4. Æn.

Extemplò Libyæ magnas it fama per urbes.
Fama, malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva motu primo, mox sese attollit in auras,
Ingreditur que solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens, ira irritata Deorum,
Extremam (ut perhibent) Cœo, Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monstrũ horrendũ, ingens: cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter; (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti, F
Turribus aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti, pravique tenax, quam nuntia veri.

Ovid. 9. Met.

Fama loquax pervenit ad aures
Dejanira tuas, quæ veris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.

Idem 12. Met.

Orbe locus medio est inter terrasque fretumque,
Cœlestesque plagas triplicis confinia mundi.
Vnde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures.
Fama tenet, summaque domum sibi legit in arce,
Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis inclusit limina portis.
Nocte dieque patet: tota est ex ære sonanti,
Tota fremit, vocesque refert iteratque quod audit.
Nulla quies intus nullaque silentia parte:
Nec tamen est clamor, sed parvæ murmura vocis,
Atria turba tenet, veniunt leve vulgus, euntque:
Mixtaque cum veris passim commenta vagantur G
Millia rumorum confusaque verba volutant,
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio, mensuraque ficti
Crescit, & auditis aliquid novus adjicit auctor, &c.
Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumque inquirit in orbem.

FAMA SEDULO CURANDA DUM VIVIMUS.

Curam habe de bono nomine: Hoc enim magis permanebit tibi, quàm thesauri pretiosi & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum. *Eccl. 41.*

Non sunt audiendi sive viri sancti, sive fœminæ, qui quando reprehenduntur in aliqua negligentia, per quam fit, ut in malam veniant suspicionem, unde vitam suam longè abesse sciunt; dicunt, coram Deo sufficere sibi conscientiam, æstimationem hominum non solùm impudenter, verùm etiam crudeliter contemnentes, quum occidant animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, quibus secundùm suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum: vel etiam cum accusatione imitantium non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, & in aliis est misericors. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. *August. de bono viduitatis: & hab. 11. qu. 3. Non sunt audiendi.* H

Cavete omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, seu dici, ne fingatur, ante devita. *Aug. lib. Confess.*

Sic Doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam. *Idem lib. de doctr. Christ.*

Falsus rumor citò opprimitur, & vita posterior judicat de priore. Si anno præterito fama mentita est, aut certè verum dixit, cessit vitium, cessabit & rumor. *Hier. ad Marcel.*

Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus: nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri sacerdotis non commendatur. *Hier. super illud Matth. 4. Abiit opinio ejus.*

Sunt plurimi, qui vitam bonorum fortasse amplius quàm debent, laudant: & ne qua elatio de laude surrepat, permittit omnipotens Deus, malos in obtrectationem & objurgationem prorum-

A prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est, quòd Doctor gentium se in prædicatione currere testatur inter infamiam & bonam famam: qui etiam dicit, Ut seductores & veraces. *Greg. & hab. 6. q. 1. Sunt plurimi, qui.*

Haber proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum præparatione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum, falsa ad præsens insinuando, dilaceret. *Idem in Registro.*

POST OBITUM.

Quid Poetæ? nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud?

Aspicite, ò cives, senis Ennii imaginis formam.
Hic vestrum pinxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriæ flagitabat ab iis, quorum patres affecerat gloria. *Idemque.*

Nemo me lacrymis decoret, nec funere fletum
Faxit: cur? volito vivus per ora virum.

B Sed quid Poetas? Opifices etiam post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum inscribere non liceret? Quid nostri Philosophi? Nonne in his ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? *Cic. l. 1. Tusc. qu.*

Non tenebræ, non solitudo obstat, quò minùs in vulgus dimanet, quidquid egerit princeps: Nam lux principatus omnia reddit conspicua, intentaque tot in se virum ora valere, ut maximè velit, non tamen potest. Loquax enim fama, vel abditissimos recessus explorat ac parefacit. *Ludov. Vives in epist. quadam ad Henric. 8. Angliæ Reg.*

PRÆSTANTIA.

Vivos & superstites premere in rectè factis etiam livor aut invidia potest, & plebei sermones: at mortuos, & cum tractu veritas invalescit, splendor ille famæ Virtutis irradiat, & seria scripta ad memoriam tradunt posterorum. *Ex l. de milit. Rom.*

Quid rerum humanarum carius Fama? quæ jure est bonis ante bona omnia & ipsam vitam. Ex *orat. de Calum.*

Opes & vita, caduca & fluxa sunt: & opes quidem ante nos sæpè, vita nobiscum semper abit: nomen autem & Fama æter-
C nant, eaque sola, cum non erimus, hic erunt, *Ibid.*

Ovid. 2. Fast.

Fama manet facti posito velamine currunt:
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.

Idem Epist. 21.

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.
Iam canitur toto nomen in orbe meum.

Idem 3. Pon. 2.

Corpora debentur mœstis exsanguia bustis.
Effugiunt structos nomen bonosque rogos.
Occidit & Theseus, & qui tumulavit Orestum:
Sed tamen in laudes vivit uterque suas.

INCONSTANTIA.

Fama, quam sequimur, ventus est, fumus est, umbra est, nihil est: itaque facillimè recto atque acri judicio contemni potest. Quòd si fortè, quoniam generosos animos familiaris hæc pestis insequi solet, appetitum hunc radicitùs extirpare non potes, excrescentem rationis falce compesce. Parendum temporì, parendum rebus est. Denique ut sententiæ meæ summam breviter expediam, virtutem cole, dum vivis: famam invenies
D in sepulchro. *Petr. ad Thomam Messanensem. Famam ante mortem non esse appetendam.*

Hinc justus Lipsius Serenissi. Belgicæ Principum historiographus, & eloquentiæ Professor, in Epitaphio suo, quod Lovanii visitur, sibique scripserat, cum viveret; postquam dixisset, sepultum ibi Lipsium, *Cui litteræ dant nomen*, &c. addit: *Abibit hoc quoque.*

Et nil hic orbis quod perennet, possidet.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Regina Saba audita fama Salomonis, venit tentare eum in ænigmatibus, ac ingressa est Hierusalem multo cum comitatu & divitiis, *lib. 3. Reg. c. 10. Matth. 2. c. 12.*

De Judith vidua dicitur, quòd erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè: nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum, *Judith c. 8.*

MARDOCHÆI quoque fama crescebat quotidie; quòd sc. Princeps esset palatii, & plurimùm posset; & per cunctorum ora volitabat. *Esth. 9.* Etiam fama Judæ Machabæi ubique diffundebatur, ob singularem ejus virtutem, & fortitudinem, *l. 2. Mac. cap. 8.*

ELEAZAR fama nominis posthumi, & religione tactus, noluit contra legem porcinas carnes, ne quidem simulando, manducare, ne per hoc maculam atque execrationem suæ se- E
nectuti conquireret. *Ibid. cap. 6.*

Postquam Christus solo attactu aperuisset oculos cœcorum, comminatus est eis, ne cuiquam dicerent: Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa. *Matth. c. 9.* Simile habetur *Matth. cap. 14. Luc. 3.*

De Heli Sacerdote memorat *lib. 1. Reg. c. 2.* quòd postquam intellexisset omnia mala, quæ faciebant filii sui universo Israeli, quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ excubabant ad ostium tabernaculi, &c. dixerit ad illos: Quare facitis res hujusmodi quas ego audio, res pessimas ab omni populo? Nolite filii mei, non enim bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. *1. Reg. c. 2.*

¶ EXEMPLA PROFANA.

Areopagus Athenis bonos cives corona decorandi primò consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingendo caput. Probabile institutum, sive rem, sive personam intueri velis. Nam & virtutis uberrimum alimentum est honos, & Pericles dignus, à quo talis muneris dandi potestas potissimùm initium cœperat. *Val. Maxim. l. 2. titul. 1. de institutis antiquis.* F

SOCRATES expedita & compendiaria via eos ad gloriam pervenire dicebat, qui id agerét, ut quales videri vellent, tales etiam essent. Qua quidem prædicatione apertè monebat, ut homines ipsam potiùs virtutem haurirent, quàm umbram ejus consectarentur. *Valerius Max. lib. 7. tit. Sapienter dicta aut facta.*

¶ APOPHTHEGMATA.

THALES interrogatus ab amico quodam, quantùm veritas abesset à mendacio: Quantùm, respondit, oculi distant ab auribus. Voluit significare, ea non semper certa esse, quæ communi fama sparguntur in hominum caterva. Fama quippè (ut Maro ait) mobilitate viget, viresque acquirit eundo; quo ut, ut falsa multoties veritati adjungantur. Veriora igitur sunt ea quæ præsentibus oculis intuemur, quàm quæ ab aliis falsa relata audimus. *Erasm. lib. 8. apophthegm.*

STRATOCLES, quum de parta quadam victoria nuntium accepisset, protinùs ad populum retulitutque supplicationibus immortalibus decerneretur, persuasit. Aliquanto post, quum certior nuntius adferretur acceptæ cladis, populo indignante quòd delusus esset: Ecquis, inquit, vestrum quicquam damni accepit, quòd totum hoc triduum mea opera hilares lætique G
fuistis? *Erasm. lib. 6. aphophtegm. Fulgosus lib. 4. c. 14. ex Plutarch.*

SOCRATES rogatus, quo pacto quis posset honestam assequi famam? Si talis, inquit, esse studeat, qualis haberi velit. Veluti si quis bonus tibicen haberi cupiat, ea præstet oporret, quæ à probatis tibicinibus fieri viderit. Quemadmodum qui medendi est imperitus, non ideò medicus est, quòd pro medico ascitus est, & vulgò medicus appellatur; ita non statim princeps est, aut magistratus, qui populi suffragiis declaratus sit, nisi sciat artem gubernandæ civitatis. *Eras. l. 3. apoph.*

Idem, pulchritudinem famæ dicebat citò marcescere ex invidia ceu morbo quodam. *Stob. serm. 18.*

EPICTETUS interrogatus, quo pacto quis honestam famam assequi posset? Respondit, Si benè vis audire, disce benè loqui; & cum benè loqui didiceris, rectè facere conator, & hoc modo bonam famam acquires. *Stob. ser. 3. de Temp.*

Idem, Si cupis, inquit, benè audire, disce benè dicere: Doctus autem benè loqui, da operam, ut benè agas: atque sic perfrueris bona fama. *Stob. ser. 3. de Temp.*

Agesilaus interroganti, qua ratione assequi quis posset, ut H
apud homines famam honestam consequeretur? respondit, Si loquatur quàm optima, & faciat quæ honestissima. *Plutarch. in Lacon. apophth.*

¶ HIEROGLYPHICA.

Non sum nescius, auctores esse, qui Pegasum, qualem quippè passim in Hadriani & L. Pap. Cursoris, & aliorum quorundam nummis aspicimus, famæ potiùs, quàm celeritatis indicium esse contendant. *Pierius Valerius lib. 4. pag. 35. B. C.*

Lancea in quacunque videatur imagine, præter militiam ipsam famæ, etiam celebritatem indicat. *Idem lib. 42. pagina 408.*

Illud verò præcipuum *fulminis* significatum est, ut vocem procul auditam, hoc est, famam rerum gestarum longè latèque per immensa terrarum spatia diffusam expiatamque præ se ferat: Ægyptii enim sacerdotes, hujusmodi gloriæ amplitudinem ostendere si vellent, Vocem, ut ipsi dicunt, aeris quippe tonitrum, hoc est, ipsius *fulminis* describebant imaginem. *Idem lib. 43. pag. 427. B.*

Famige-

A * Famigeratio.

¶ DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

FAmigeratio, famæ disseminatio, rumorum gestatio & divulgatio, λογοποιία, διαβόησις. Hebr. *hasch matehuth*, à verbo *Schamahh*, audivit, auscultavit: famigerato rigitur λογοποιὸς est, novorum rumorum fictor; geruli figulus, Plauti: mendaciorum gerulus, Jurisc. sermonum gestator, Senecæ: rumigerulus, Amm. Marcell.

Athenienses (inquit D. Lucas) & advenæ hospites nulli alii rei vacabant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid novi. *Act. 17. 81.*

Hanc levitatem suis civibus sæpè exprobrat Demosthenes; nempè *orat. resp. ad epist.* Philippi: secunda, item & tertia Olinthiacha. Vide *Plut. de curiositate.*

CÆSAR de veteribus Gallis loquens, Est autem hoc (inquit) Gallicæ consuetudinis, ut & viatores etiam invitos consistere cogant: quòd quisque eorum de quaque re audierit aut cognoverit, quærant: & mercatores in oppidis vulgus circunsistat, quibus ex regionibus veniant, quæque res ibi cognoverint, pronunciare cogant: & his rumoribus atque auditionibus permo-
B ti, de summis sæpè rebus consilia ineunt: quorum eos è vestigio pœnitere necesse est, cum incertis rumoribus serviant, & plerique ad eorum voluntatem ficta respondeant, *lib. 4. de bello Gal.*

Famigerationem festivè depingit Juvenalis *Sat. 6.* his versiculis:

Instantem regi Armenio, Parthoque cometem
Prima videt famam, rumoresque illa recentes.
Excipit ad Parthos, quosdam facit esse Niphatem
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio, mutare urbes, subsidere terras.
Quocumque in trivio, cuicumque est obvia narrat.

Prolixiùs verò Theophrastus *in charactheribus* seu notationibus morum. Famigeratio (inquit) est factorum dictorumque ab arbitrium ipsius fingentis confictio. Famigerator autem is est, qui obvius amico factus, statim mutato vultu ac renidens interroget, Unde tu, & quid ais? & Habesne super hoc novum quicquam? & pergens interrogare, Nihilne, inquit, novi dicitur? atqui fausta sanè sunt & læta, quæ vulgo narrantur; tum autem priusquam ille respondeat, Quid ais, inquit, nihil
C audivisti? Ergo ego te, sicut video, rerum novarum epulis lautè excipiam. Ac statim est illi aut miles aliquis, aut Aster tibicinis puer, aut manceps Lyco qui ex ipso prælio sit reversus, à quo se dicat audisse: auctores siquidem ille tales eorum quæ dictitat, profert, quos nemo queat arguere. Refert autem se accepisse ab illis, Polypercontem cum rege hostes prælio fudisse & superasse, Cassandrumque vivum in hostium potestatem venisse. Quòd si quis dicat: Tu autem hæc credis? Imò, inquiet, rem enim clarissimam omnium voce tota urbe serti: rumorem crescere: omnes congruere: eadem enim de prælio ab omnib. narrari: magnum nimirùm ea pugna fatum esse factum. Idque se ex eorum etiam vultu qui rem gerunt publicam, colligere, quem viderit ipsis penitùs immutatum. Addit deinde se audisse quendam, qui ex Macedonia advenerit, quique omnibus quæ gesta sunt, interfuerit: quintum jam diem ab illis domi occultari. Atque ubi hæc commemoravit, miserationes adjicit. At scin quomodo? Sanè quàm persuasibiliter: O infelicem, inquiens, Cassandrum! O virum ærumnosum! En fortuna quid possit: at fuit certè Cassander præpotens. Tu verò, ait, tacitus hoc tecum habeto: ipse autem ad civium unum-
D quemque accurrit, ut ei omnia narret. Equidem mirari soleo, quid sibi homines hoc genus falsis rumoribus fingendis spargendisque velint: quæ res, ut taceam mendacii turpitudinem, non raro ipsis incommoda evenit: Factum enim sæpè, ut dum isti in balneis concursus facerent, vestes interea suas furto amitterent: alii dum in porticu aut pedestri, aut navali prælio vincunt, quòd vadimonium non præstitissent, graviter multati sunt. Quibusdam etiam, dum urbes verbis suis fortiter caperent, cœna interea loci periit. Enim verò misera est istorum vita & conditio: nam quæ porticus est, quæ officina, quæ fori pars, in qua dies non traducant integros, magno cum audientium, quos falsis suis narrationibus obtundunt, tædio?

Vide Titulum de Rumore.

Fames.

* ¶ DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

FAmes, Græcè λιμὸς, & λιμώττω, est appetentia cibi: famesco dicitur Heb. *Rahab, Rehabon*, à verbo *Raheb*, esuriit, famelicus fuit, laboravit inedia, aruit fame, exarsit fame. Affine E
est huic *Bahar*, exarsit, & *Raham*, impetuosus fuit, ut solet esse fame percitus. Cum nomine facilè *Rahab*, convenit Latinum Rabies. Nam præ fame egeni in rabiem vertuntur.

Est autem fames appetitus calidi & sicci *secundum Arist. lib. 2. de Anima.*

Dicitur autem fames ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quod est edo; unde famelicus, qui agitur edendi cupiditate, & famelicosus, qui frequenter famelicus est, & fame esurio, à quo famesco, & licèt à Græco veniat, usus tamen obtinuit, ut per F. scribatur.

FAMIS DESCRIPTIO.

Ovid. 8. Metam.

Est locus extremis Scythæ glacialis in oris.
Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners: illic habitant, Pallorque Tremorque
Et jejuna Fames.

Et infrà.

Quæsitamque famem lapidoso vidit in antro,
Unguibus, & raris vellentem dentibus herbas. F
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam spectari viscera possent.
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis,
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & à spina tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

NATURA.

Famis naturam quidam investigant, ejusque etymon expendunt, dum ad eam quinque hæc concurrere sentiunt. Primum est membrorum exinanitio, deficiente alimento.

Secundum, tractus membrorum conantium allicere ad se, & rapere, undecunque valeant, nutrimentũ, cujus inopia laborant.

Tertium, divulsio ventriculi cum acri quodam morsu, qui nascitur tum vehementi attractione; tum quia destitutus alimento ventriculi cavitate, ejus latera in se concidunt & corrugantur.

Quartum, sensio divulsionis; nam cum hæc ventriculum graviter afficiat, ipsumque lædat, consequens est, ut doloris sensum invehat. Sentitur autem potissimùm fames in ventricu- G
lo, ac præsertim in ejus ore, quia membrorum suctio ad hæc ultimò terminatur, iisque major inest sentiendi acrimonia.

Quintum, appetentia cibi, id est, actus appetitus sensitivi, optantis extremum alimentum, ut præsenti malo occurrat.

Consurgit autem hæc appetentia in hunc modum: Percipit phantasia divulsionem ventriculi ex alimenti penuria: deinde apprehendit alimentum ut conveniens & necessarium: tum proponit id appetitui sensitivo, qui confestim in ipsum per actum appetendi fertur, ut vitæ consulat. Itaque attractio alimenti, unde oritur dolor (sensio nimirùm divulsionis ventriculi) famem efficitur optimè inde nomen famis duci potuerit. Habet autem attractio illa quandam corrosionem ex alimenti defectu, aut ex eo quòd licèt nõ desit, ab una parte ad aliam præter ordinẽ attrahatur, ut à jecore ad venas vi alicujus maligni humoris.

FAMIS PERPESSÆ EXEMPLA

SACRÆ SCRIPTURÆ

Fames compulit Abraham, primò ut ex Chananæa in Ægyptum fugeret. *Gen. 12.* Deinde ut Gerara ad Abimelech regem se conferret. *Gen. 20.* Similiter etiam Isaac. *Gen. 26.*

Sub Pharaone rege ubertas magna integro fuit septennio. H
Quam secuta est totidem annorũ fames in Ægypto, *ex Gen. 41.*

In Judæa tempore Judicum tanta fuit fames, ut Elimelech Bethlehemita cum uxore Noemi, & duobus filiis, in Mohabiticam terram discesserit, ubi filiis suis uxores dedit, Orpham & Ruth. Noemi, post decennium remittente fame, post mortem patris & filiorum, cum Ruth nuru sua in Judæam rediit. Ruth Moabitis Booz viro clarissimo nupsit. *Ruth. c. 1.*

Sub Joram rege Israelitarum, septennio integro fames Israelitas afflixit. Itaque Elisæus propheta mulierem Sunamitidem, cujus filium in vitam revocaverat, in Palæstinam proficisci jussit, donec septem anni elaberentur. *Lib. 4. Reg. c. 8.*

BENADAD Syriæ rege Samariam obsidente, asini caput octoginta argenteis, quartanis stercoris columbini loco sa- F
lis quinque argenteis væniit. Joram Rex Samariæ cùm muros obiret, occurrit ei mulier conquerens de sua contubernali, quòd cum ipsa superiore die filium suum mactasset, & illam alteram in convivium adhibuisset, illa nunc ex pacto suum mactare nollet. Rex facinoris immanitate territus, vestimenta sua laceravit. At Elisæo vate prædicente, hostibus divino terrore fugatis, postridie summa annonæ vilitas successit. *4. Reg. 6. & Josephus l. 9. c. 4.*

Fames

A Fames maxima Judæam afflixit anno Herodis Regis XIII. ob siccitatem diuturnam; ne illis quidem fructibus provenientibus, quos sponte sua terra solet edere: quam & morbi subsecuti sunt, & invaluit pestilentia; fuissetque omnibus ferè pereundum, nisi Herodis interceffisset apud Petronium Ægypti præfectum cura & providentia. *Josephus lib.* 15. *cap.* 12.

Fames, quam omnibus terris futuram Agab *Actorum* 11. prophetico prædixerat spiritu, Claudii Imp. IX. & X. anno longè latèque per totum orbem evagata est. Qua temporum iniquitate, Helena Adiabenorum regina, quæ Judaicum primò cultum complexa, mox Apostolorum prædicatione Christi regis est fidem secuta, magnam vim tritici Hierosolymam misit, ne piorum cœtus, qui tunc eam urbem incolebat, fame conficeretur. Meminit cladis hujus Tranquillus, qui auctor est, Claudium arctiore annona, quæ ob assiduas sterilitates inciderat, in foro à multitudine conviciis exceptum, ac ita panis fragminibus instratum, ut ægrè per posticum in palatium evaserit. *Sabell. lib.* 2. *Ennead.* 7. *ex Euseb. & Dion.*

B HISTORICA.

In Hierosolymitana obsidione tanta fuit fames, ut multi clam universa bona sua uno frumenti modio, qui ditiores essent, itemque pauperes hordei, permutarent. Inclusi deinde intimis ædium tectis, quidam summa penuria infectum triticum comedebant; panem alii conficiebant, ut necessitas metusque monuisset. Et mensa quidem nusquam apponebatur, sed incoctum subtrahentes igni cibum diripiebant. Miserabilis autem erat victus, dignumque lachrymis spectaculum, cum potentiores quidem plus haberent, infirmiores autem injuriam deplorarent. Denique uxores viris, & filii parentibus, & quod misérrimum, matres cibum infantibus ex ipso ore rapiebant, & marcescentibus inter manus chariissimis nemo parcebat, quin vitæ guttas auferret. Edentes verò talia non latebant, sed ubique aderant, qui ista diriperent. Nam sicubi clausam domum vidissent, eos qui intùs erant, cibum capere hoc suspicabantur indicio: statimque ruptis foribus irruebant, victumque jam contusum dentibus, ex gutture penè revocabant, ipsos faucibus strangulantes. Pulsabantur autem senes, ne cibum defenderent: lacerabantur mulieres,
C ea, quæ haberent in manibus, occulentes: nullaque miseratio vel cani erat capitis, vel infantiæ; sed abstractos pueros, & ex bucella pendentes, humo allidebant. Si quis autem incurrentes antevenisset, quodque rapturi fuerant, devorasset, tanquam læsi, cruentiores erant. Acerbissimos autem cruciatus excogitabant, dummodò alimenta reperirent, nunc excruciando genitalium vias, nunc virgis acutis podices transfigendo. *Josephus lib.* 6. *cap.* 11. *belli Jud.*

Maria quædam infelix muliet, infantis vagitu excita, ubi cum illo extabescere se animadvertit, impar tantis malis, & calamitati succumbens, affectum amisit, exculcataque naturæ vi, ac dolore devorato, furorem induit, intentaque in parvulum etiam hosti miserandum: Quid, inquit, faciam tibi parvule? quid faciam? Sæva ecce circumstant mala, fames, incendia, latrones, ruinæ. Cui credam te moritura? An vitæ tantillum relinquam? Sed potes, ò fili, & sic matrem pascere: idoneæ ad cibum manus tuæ, ò suavia mihi viscera, ò artus perjucundi: age priùs quàm fame in ultimam solvamini tabem, reddite matri quod accepistis. Age, ò fili, intimum naturæ secretum repete: unde vitales auras carpere orsus es, in-
D de & tumulus paretur tibi. Amplectar ipsa quæ genui, & exosculabor pressus. Hæc verò quum enunciasset flebiliter, mox aversa gladium impegit, ac in frusta consectum igni percoxit, indeque hiantes explevit ventris latratus. *Celius lib.* 13. *c.* 24. *ex Egesippo l.* 9. *c.* 40. *Baronius tom.* 1. *Anno* 72.

Græcis Ilium obsidentibus, fames maxima exercitum invasit, propterea quòd vicinis agri depopulati non colerentur. Palamedes igitur Nauplii F. ut solamen aliquod tantæ calamitati afferret, animos Græcorum in jucundis rebus occupando, latrunculorum ludum sive tesseras & talos reperit. Et teste Polemone, propè Ilium adhuc extat lapis, in quo Græci luserunt. Attestatur huic rei Sophocles in Palamede, inquiens: ὦ λιμὸν ἥτις τῷδ' ἀπῶσα, σὺν θεῷ εἰπεῖν, θείου τε διατριβὰς σοφωτέρας ἐφεῦρε, φλοίσβου μετὰ κώπλων καὶ μηδρίων, πεσσοῖς κύβοις τε, τερπνὸν ἀργίας ἄλον; *Euthathius Iliad.* β.

STEPHANUS Ægyptias pyramydes à tritico, quod σιτὸς nuncupatur, deduci mavult, quoniam eo illuc aggesto, fames Ægyptum invaserit. At Ammianus Marcellinus *libro secundo, & vicesimo*: Quia (inquit) figura in acutum desinens, à Geometris sic appellatur, quòd in morem ignis in conum assurgat. E *Cælius lib.* 23. *c.* 6. *A. L.*

In castro Sesto obsessi ab Atheniensibus Persæ, tam dira fame vexati sunt, ut funibus lectorum, nulla re alia superstite, elixatis vescerentur. *Herod. lib.* 9.

Athenienses obsidente Sylla, consumptis alimentis omnibus, elixari coria, & discocta in alimentum verterunt; quin nec à suorum cadaveribus abstinuerunt. *Appianus lib. de bello Mithrid.*

Nota sunt proverbia Saguntinæ, Milææ, & Perusianæ famis. Tempore Atyis, Manis regis filii, annonæ difficultas per universam Lydiam valdè grassabatur, adeò ut Lydi, qui tum miserè degebant, non cessantes remedia huic malo quærere, alius aliud excogitarit: inventumque tunc ab iisdem aleæ tesserarumque ludum, & pilæ, cæterorumque ludorum omnium genera ajunt, præterquam talorum: Horum enim inventionem sibi non vendicant Lydi. Porrò ad famem discutiendam, altera quidem dierum in totum lusibus occupabantur, ne videlicet ciborum quærendorum solicitudine distorquerentur: altera verò à lusibus abstinentes, pascebantur. Atque hoc modo vixerunt annis circiter duodeviginti. Cum autem malum istud F non remitteret, sed magis atque magis invalesceret, factum est, ut eorum rex Lydos bifariam divideret: & hos quidem sorte ad permanendum in suis ædibus destinaret, illos verò aliquò ablegaret colonos. Et quidem his, qui isthic permanerent, rex ipse pergeret imperare: illos autem, qui deducendæ coloniæ erant destinati, filium suum præficeret, cui nomen Tyrrheno. Hi è Lydia excedentes, primùm diverterunt Smyrnam. Hic mox fabricatis navigiis, quibus ea, quæ navigationis accommoda videbantur, imponerent, ad victum sedesque quærendas oram solverunt: donec varias nationes pertranseuntes, ad Umbros pervenerunt: & civitatibus constructis, pro Lydis (propter regii filii, qui eos deduxit, nomenclaturam) nomen commutarunt, & Tyrrhenos sese dixerunt. *Herodotus lib.* 1.

CYRUS, cum in expeditione quadam coactus fuisset intrare regionem desertam, & omnium ad vitam necessariorum inopem, tam grave subivit discrimen, ut ejus milites ob victus indigentiam, commilitonum corpora in cibum vertere compulsi fuerint. At quum Arimaspi currus frumento onustos ad triginta millia adduxissent, præter spem ab ingenti cala- G mitate omnes sunt liberati. Quo nomine Cyrus eos libertate donatos, pro Arimaspis Evergetas appellavit. *Diod. lib.* 17.

Cum Phylagalenses Arcades Cereris sacra intermisissent, crudeli fame vexati, ex Pythiæ oraculo novum Cereri signum fecerunt, & sacra magnificentiùs instaurarunt. *Pausanias in Arcadicis.*

Ἀλτηρὸς, vulgò dicebatur, qui per vim raperet aliena. Natum ex eventu hujusmodi. Temporibus Ætolici belli, tanta frumentariæ rei penuria incidit Atheniensibus, ut pauperes coacti fame, captivorum farinam deriperent: inde vox traduci cœpit ad hominem quocumque modo sceleratum. *Suidas. Plutarchus in commentario de Curiositate*, diversam hujus nominis originem reddit. Nempè cùm Athenis fame vehementer laboraretur, & hi, qui jussi fuerant, frumentum non efferrent in publicum, sed domi clanculùm molerent, ac noctu: curiosi quidam obambulantes, observato molarum strepitu, eò prodiderunt: atque hi quidem Aliterii dicti sunt, quemadmodum & Sycophantæ. Ceres dicta est Ἀλτηρία, & Jupiter Ἀλτήριος, quòd in publica fame servassent molitores, si farina diriperetur. *Erasmus in Adagiis.* H

Post victoriam Platæensem Athenienses Xanthippo duce Sestum in Chersonneso oppugnabant. Obsidio illa tamdiu tenuit, ut qui obsidione tenebantur, lictorum funibus elixis vescerentur. *Sab.* 2. *lib. En.* 3.

Cùm in Piræo ursus Dianæ Munychiæ sacer ab Atheniensibus interfectus esset, fames ingruit. Oraculum respondit: Ita demum mali finem futurum, si quis filiam immolasset numini. Embarus filiam se immolaturum pollicitus, si sacerdotium in posteros suos traduceretur, solemni ritu ornatam sacrificavit. *Plut. in Collectaneis, & Erasmus in proverbio, Embarus sum.*

DEMETRIUS POLIORCETES Athenas terra marique infestans brevi ad tantam rei inopiam redegit, ut tricenis drachmis vaniret modius frumenti. Plutarchus ait, memoriæ proditum, filium in ea egestate adversùs patrem, ob morem, qui fortè è tecto exanimis decideret, ferro dimicasse; & Epicureæ sectæ quendam, famis æqua portione distributis, liberos ea temporum iniquitate aluisse. *Sab. lib.* 7. *En.* 4. *ex Plut. Demetrio.*

DIONY-

A DIONYSIO tyranno Siculorum, undecimum jam mensem Rhegium obsidente, & omne eis auxilium commeatumque intercipiente, gravi rerum omnium necessariarum penuria laborare in urbe cœperunt. Ajunt, frumenti medimnum apud Rheginos tum temporis quinque minis vænisse. Tanta igitur fame pressi, primùm quidem equos & alia jumenta in alimentum adhibere cœperunt: postea verò ipsis quoque coriis ac pellibus maceratis & coctis pro cibo utebantur: postremò urbem egressi, herbas circa murum crescentes, pecudum instar depascebantur. At Dionysius extremum etiam malum inducere volens, herbas loci ejus & gramina passim succidi ac evelli jussit; quò putrefacta, pro cibo esse eis ampliùs non possent. Quibus malis Rhegini victi, urbem tyranno, concessa ei in eos statuendi omni potestate, tandem dederunt. Urbem ingressus, magnam cadaverum eorum copiam reperit, qui fame omnes perierant: superstites adhuc mortuis quàm viventibus similiores erant. Collectis autem infirmis & languidis quoque captivorum, plus quàm sex millia Syracusas misit,
B vel talento singulos redimendos, vel sub hasta vendendos, *Diodorus lib.* 14.

Cùm aliquando Peloponnesus annonæ laboraret inopia, quidam urgente fame, collectis sarcinis, inde demigrarunt. Ii cùm incertis sedibus huc atque illuc vagarentur, recepti sunt in civitatem à Tripolitis. Tripolis autem ea in Rhodo est. Nomen igitur inditum illis, ut dicerentur λιμοδωρῖται. Hesychius addit, ex auctoritate Didymi, eos qui juxta Oetam accolebant, sic vocatos, quòd ob terræ sterilitatem frequenter cum fame rem habebant. Δωρῖται Græcè dici videntur à dono. Itaque qui vagantes famem adferebant, λιμοδωρῖται dicti sunt. Aliqui Dores non sunt in Peloponneso, sed inter Locros & Ætolos, auctore *Strabone lib.* 9. *Erasmus in Adagiis, ex Plut. Collect. proverb.*

Λιμὸς μηλιάς, id est, Fames Meliæa, de fame extrema, deque rebus difficillimis. Est enim Melus oppidum Thessaliæ, quod Nicias Atheniensium dux obsedit, expugnavitque, non tam machinis bellicis, quàm fame. *Suidas.* Meminit historiæ *Thucydides lib.* 5.

ALEXANDER MAGNUS ex Gymnosophistis pedestri itinere
C per Oritas pergens, in extremam inopiam recidit, multosque mortales amisit, ut exercitus ne quartam quidem partem reduxerit ex India, cùm peditum essent cxx.m. equitum xv.m. Adhæc graves morbi, parvus victus, fervores torridi, plurimos fames absumpsere: dum regionem peragrant incultam hominum duram vitam agentium, qui paucas & viles habebant oves, marinis piscibus assuetas vesci, atque hinc prava carne & putida prædatus. Hanc tandem diebus sexaginta emensus, Gedrosiam attigit. Ibi in rerum omnium egit affluentia, quòd proximi satrapæ & reges de omnibus providissent. *Plut. in Alexandro.*

Stipendiarii Carthaginensium, post primum Punicum bellum, seditione mota, ad extremum periculum res Carthaginensium deduxerant, nec nisi fame ab Hamilcare domari potuere. Constat, illos captivorum primò, mox & servorum corpora crudeliter absumpsisse. *Sabellic. libro nono, En.* 4.

An V.C. 313. Proculo Geganio Macerino, & L. Menenio Lanato Coss. annonæ caritas Romam invasit: dubium, deserto agrorum cultu, an cœlo frugibus adverso: utrumque enim
D traditur. L. Minutius est annonæ præfectus, publica frumentatione parùm felix. Apud finitimos neque pretium valuit, neque gratia, ut laboranti civitati opem ferrent. Fame igitur invalescente, ad eam rerum desperationem est ventum, ut quidam è plebe longioris vitæ cruciatus veriti, obvoluto capite sese in Tyberim præcipitarint, tanta tum fames civitatem invaserat. Tum Sp. Melius, ex equestri ordine homo prædives, rem specie utilem, sed libertati præcipuè inimicam est aggressus. Emerat hic per clientes & hospites penè quicquid frumenti fuerat ex Hetruria advectum, emptumque multitudini gratis in gravissima annona distribuit. Conciliavit ea largitio homini tantum favoris, ut quacumque incederet, frequens circa illum civium multitudo conspiceretur, futurum consulatum haud dubio consensu repromittens. Quoniam autem consulatus erat patribus non sine certamine extorquendus, de regno agitare cœpit. Creantur interim consules, T. Quintus Capitolinus, & Agrippa Menenius. Ad hos & patres Minutius detulit, se manifesto indicio compertum habere, in Sp. Melii domo secreta consilia agitari, ingentem vim armorum eò collatam, corruptos ex tribunis quoidam, quia ad prodendam libertatem cum Melio conspirent. Tum quia à consulibus provocatio erat, visum est, ad id malum oppri- E mendum Dictatore opus esse. Quintius Cincinnatus dictus est. Is Servilium Halam magistrum equitum dixit. Qui Melium ad Dictatorem venire nolentem, & populi fidem implorantem, occidit. Placata in Dictatoris oratione multitudine, Quæstores jussi sunt Spurii bona vendere, pecuniamque inde exactam in publicum redire. Domus diruta, monumentum nefariæ spei oppressæ, ut esset arca, Æquimelium appellatum, L. Minutius bove aurato, vel, ut alii tradunt, statua extra portam Tergeminam est donatus, *Sabel. lib.* 5. *En.* 3.

RUTILIUS Romanorum imperator Tauromenium servili bello recuperavit, postquam vehementissimè illud oppugnasset, & defectores servos, qui in eo erant, ad tam acrem famem compulisset, ut quum primò liberorum suorum corporibus vesci cœpissent, mox ad uxorum corpora se convertissent, postremò ne sibi quidem invicem parcerent, sed & alii alios vorarent. *Diod. lib.* 4.

Petilini Brutii ab Hannibale obsessi, quia à Romanis deficere noluerant, tantam famem sustinuerunt, ut frugum & carnium alimentis absumptis, coria sutrinis detracta in cibum F verterint. Herbis inde, radicibus, corticibusque deficientibus, nullus fuit tam infandus cibus, à quo obscæna fames abstineret. Postremò corporibus miserabili tabe confectis, ut ne vestigio quidem consisterent amplius, ab Himilchone expugnati sunt. *Sabellicus lib.* 3. *Enneadis* 5. *& Athenæus libro* 12. *c.* 11.

Casilini obsidebat Hannibal Romanorum præsidium, & ad ultimum inopiæ redegerat; ita ut quidam fame adacti, ultrò sese præcipitasse dicantur, alii nuda corpora obtulerint hostibus conficienda. Intercepto deinde à Pœnis commeatu, quem Romani miserant, ad tantam omnium rerum penuriam ventum est, ut lora & pelles scutis detractas, aqua emollitas mandere conati sint, nec muribus interim aliisque obscænis cibis abstinuerint. Satis constat, ccc. argenteis murem unum memorabili eventu vænisse nummis, emptoremque ea alimonia servatum, eo qui vendiderat, extincto. *Sabell. lib.* 3. *Ennead.* 5. *& Plin. lib.* 8. *c.* 57.

Saguntina fames in proverbium venit. Historiæ meminerunt *T. Livius, Valerius Maximus, & M. Tullius in Philippicis.* Est autem Saguntum Hispaniarum oppidum, juxta flu- G men Iberum, societate fœdereque conjunctum cum Romanis. Id longa Pœnorum obsidione fameque eò redactum est, ut cives extructo in foro igni, quicquid erat pretiosarum rerum, in eum conjicerent: ac postremò, seque suosque liberos eodem præcipitarent, ne venirent in hostium manus.

* Rursum anno Christi quingentesimo trigesimo nono, qui quartus Belli Gothici à Procopio ponitur inchoatus, dira fames vexavit Italiam; de qua ista auctor habet. Cùm, inquit, jam se verteret annus, & messis tempus adesset, in campis frumentum sua sponte maturescebat; non tamen qua priùs id copia fuit, sed longè minori, ut quod nec hominum manibus, nec boum labore satum humoque tectum fuisset, sed temerè in agri superficiem jactum: unde ejus pars quædam terræ vi sota emersérat; ipsum id tamen cùm demeteret nemo, præ nimia sui maturitate in terram iteratò excidens renascebatur. Quæ res cùm eundem in modum in Æmilia accidisset, ejus regionis homines propriis sedibus ac bonis relictis, in agrum Picenum profugerant, haudquaquam existimantes, ejus Provinciæ loca, quia maritima essent, eadem omninò rei frumentariæ inopia premi. Tuscos præterea haud secùs, ac pari de causa fames H attigerat. Ex his tamen qui montes incolerent, frumenti in modum è glandibus commolitis confectum panem edebant. Unde vulgatis velut in pecua morbis, uti par erat, multi mortales capiebantur, & paucis superstitibus interibant. Inter Picentes autem tradunt, non minùs quinquaginta millia hominum præ inedia interiisse, & longè plures extra Jonicum sinum. Qua autem morbi specie, & quemadmodum hi moterentur, mox explicabo. Cùm enim nihil iis esset, quo vescerentur, extenuati nimirùm omnes pallenteque reddebantur, caroque, ut cibo diutiùs carens, in se ipsa retracta, cohæerat: sel item cùm nimiùm abundaret, atque adeò corpora ipsa vi sua oppressa jam infecisset, haudquaquam sinebat suo è pristino cursu in his venas defluere. Malo itaque pervincente, nihil prorsùs succi corporibus relinquebatur. Cutis præterea obdurata corio persimilis erat, præ se maximè ferens, quòd impacta ossibus inhæsisset, livore jam in nigredinem commutato: unde & homines exsultis facibus nihil absimiles videbantur, eorumque facies stupidior erat, torvusque & furens aspectus. Mortem itaque pas-

A sim obibant, cibi partim inopia, nimia partim saturitate. Nam postquam in his fuerat calor omnis extinctus, quem natura introrsum excusserat: si quis fortè ad eos ad satietatem, & non paulatim cibasset (ut recèns nati lactari solent) cùm ingestos minùs digererent cibos, celeriùs longè moriebantur. Fuere, qui fame cogente alterni se esitarent. Feminas enim duas fuisse tunc tradunt, quæ viros septemdecim interfectos absumperint. Hæ namque (ut ferunt) cùm solæ & resides domi, ceteris mortuis, superfuissent, divertentibus ad se peregrinis noctumque dormitantibus interfectis divescebantur: septem itaque & decem diversis temporum spatiis in cibum absumptis, octavus ac decimus, qui ad has fortè diverterat, somno tunc subitò experrectus, cum in se eadem, quæ & in cæteros fecerant, molirentur, cognita primùm facti ab his ratione, utrasque obtruncat. *Ex Procop. de bello Gothor. libr. 2. Baron. tom. 7. Annal. ann. 539.*

Anno V. C. CXLIV. cum L. Icilius tribunus plebi agrariis legibus promulgandis seditione Romæ agitaret, pestilentia coorta cogitationes hominum à foro certaminibusque publicis ad B domum curamque corporum nutriendorum convertit. Defuncta civitate plurimorum morbis, perpaucis vulneribus, pestilentem annum inopia frugum neglecto cultu agrorum excepit. Atque adeò fames, quàm pestilentia tristior erat, nisi dimissis legatis, Romani à Siciliæ Tyrannis maximos commeatus adverso Tiberi in urbem advehendos curassent. *Livius Decad. 1. lib. 4.*

Obsessi à Gallis in Capitolio Romani, quando nullos eò commeatus convexerant; inopinato nimirùm malo præventi, eò penuriæ redacti sunt, ut M. Manlio Capitolino ob servatam contra noctumam vim Gallorum arcem, summi muneris loco non Tribuni solùm, sed etiam universi milites, selibras farris, & quartarios vini contulerint; rem dictu parvam, sed ingens argumentum caritatis. Senserant quidem Galli obsessos fame premi, eamque illis objecerant. Romani avertendæ ejus opinionis causa, multis locis de Capitolio in hostium stationes panes jecere. Postremò cùm superatis humanis omnibus malis, famem unam natura vincere non sineret, nec auxilium aliquod à Dictatore Camillo appareret, mille pondo auri libertatem suam à Gallis redemerunt. *Livius Decad. 2. lib. 5.*

C Cùm M. Antonius Triumvir è Parthis reduceret exercitum, tentavit fames exercitum: quòd parùm frumentari, idque non sine certamine possent, & deficerentur molis. Magna enim ex parte relictæ fucrant, jumentis partim mortuis, partim ægrotos & socios ferentibus. Cœnicem tritici Atticam quinquaginta drachmis ajunt væniisse. Panes hordeaceos ad argenti pondus distrahebant. Ad olera verò & radices cùm verterunt se, pauca reperere familiaria. Coacti etiam insolita antè gustare, herbam attigerunt, quæ adserebat per insaniam mortem. *Plut. in Antonio.*

Sub imperio Maximini & Licinii persecutorum Christianæ religionis, fames fuit tanta, ut una tritici mensura bis mille quingentis Atticis venderetur. Factum inde est, ut per civitates infinita hominum multitudo fame consecta, mortua sit; major verò per vicos & agros pestilenti morbo. Alii igitur, quæ charissima & pretiosissima haberent, pro tenuissimo cibo ditioribus vendebant: alii possessionibus suis paulatim divenditis, ad extremam egestatem redacti sunt. Quidam modicas graminis minutias mandentes, & lethiferis herbis promiscuè vescentes, valetudinem corruperunt. Nonnul- D læ etiam per civitates nobiles feminæ ad extremam inopiam redactæ, ad agros mendicandi gratia se receperunt. Et alii quidem viribus exhaustis, velut exanima simulacra, huc illuc vacillantes, nutantesque & collabentes, in mediis plateis procidebant, supinique palmis extensis, ut pauxillum sibi cibi porrigeretur, suppliciter orabant: atque in extremis constituti, animamque agentes, esurire se clamabant, ad hanc etiam vocem proferendam vix valentes. Sic igitur in medio foro, & per angiportus, mortua ac nuda corpora pluribus diebus inhumata & projecta, miserabile visentibus spectaculum exhibebant. Cùm & canum cibi nonnulli fierent: ob eamque causam potissimùm aliqui canes interficerent, veriti, ne rabidi facti, ad vorandos & laniandos homines converterentur. *Euf. lib. 9. cap. 8.*

Sub Juliano Apostata terræmotus fuerunt gravissimi, ædificia & domus passim ruebant: adeò ut tutum nusquam esset, vel domi vel sub æthere morari. Præterea siccitates immensæ, omnes terræ fructus perdiderunt. Quo factum est, ut homines necessariorum ex terra fructuum inopia, carnibus E animantum bruorum, Alexandriæ & in Ægypto, vesci coacti sint: ut *Sozomenus* indicat *libro sexto capitulo secundo Theodoretus libro quarto capitulo quarto* scribit, famem illam ingentem, ob impietatem Juliani, & frumentum Ecclesiis à Constantino donatum raptum, sub Joviniano adhuc durasse.

Decimo Mauricii anno, post maximam siccitatem, quinque locustarum agmina, innumerabili multitudine, quicquid in aruis virescebat, depascentia, ingentem per Italiam famem biennio fecere. *Palmerius, ex P. Diaconi libro quarto de rebus Longobar. & Greg. Turon. libro decimo capit. vigesimo nono Histor.*

Ann. imperii Valentiniani septimo, Christi 374. magna fuit Cæsareæ siccitas, quam ingens fames subsequuta est. *Basilius sermone tertio in Divites, & Hieronymus in Chronico.*

* Sub Honorio Imperat. refert *Zozimus VI. Annal.* Romæ tantam annonæ fuisse caritatem, & raritatem, ut homines hominibus immnerent, & in Circo palam audita sit vox: Pone pretium humanæ carni. F

Fuit maxima ea necessitas, qua Italia laboravit, imperante Justiniano, cùm Gothi Belisarium in urbe Roma inclusissent. Procopius narrat, propter ingentem famem eos, qui in Æmilia habitabant, propriis sedibus ac bonis relictis, in agrum Picenum profugisse: in Piceno agro non minùs quàm quinquaginta millia hominum præ inedia interiisse, & longè plures extra Jonium sinum. Invalescente autem hoc malo, tandem eò deventum est, ut homines cogerentur humanis excrementis & carnibus vesci. Duas fuisse tunc fœminas tradunt, quæ viros septemdecim interfectos absumpserant, ipsæ à 18. qui id fieri senserat, cæsæ. Sed eò jam alibi quoque creverat famis necessitas, ut quicquid ubique herbarum esset, id promiscuè appeterent, & genu in terram nixi, cùm avellere has niterentur, deficientibus viribus (nam è corporibus vigor omnis abscesserat) porrectas ad herbas solo moribundi procumberent, insepultique passim manerent: nec erat, qui sepulturæ rationem haberet. Hermannus Gigas dicit, tantùm invaluisse famem, ut matres mactarint suos liberos, iisque pro cibo usi sint. *Blondus quoque Decadis I. libri quarti, & Sabell. libro tertio Enead. 8.* recitat ex Da- G cio Mediolanensi Archiepiscopo, qui iis temporibus, quibus Vitiges Romam obsidebat, vixit, quòd in sua diœcesi inventa sit mater, quæ mortui filioli carnes comederit. *Eamdem Historiam habes paulò ante ex ipso Procopio, nonnihil mutatam.*

Azanæa Phrygiæ civitas fame ob sterilitatem agrorum premebatur. Immolata autem vulpe & echimo ab Euphorbo pastore, novo sacrificii genere placati fuerunt dii, feraceque cœperunt esse agri. *Erasmus in proverbio* Ἀζανῖται κακά.

ALARICUS GOTHUS ann. 409. Romam obsidens, portas omnes obstruxit, ne cuiquam ingressus exitusque pateret & occupato Tiberi, commeatus subvectionem è portu prohibuit. Ac Romani quidem per aliquot dies magna animi constantia omnia belli incommoda pertulerunt, subsidium Ravenna ab Honorio Imperat. venturum in diem opperientes. Post autem, cum nemine succurrente spes eos destituisset, ut imminentis famis periculum propulsarent, frumenti modium minuerunt, ac partem ejus tantùm dimidiam excoxerunt, quod in singulos dies erogabatur; atque in- H de, glisccnte penuria, tertiam. Ad extremum autem, cùm omnia jam alimenta deficerent, ingens fames civitatem oppressit, ac mox famem sæva pestilentia excepit; & cùm passim omnia cadaveribus complerentur, quòd extra urbem sepeliri de more non poterant, lues ipsa dira odoris fœditate vulgata est. Itaque Romani ab Alarico pacem immensa vi pecuniæ redimere sunt coacti. Jam cum Honorius pacem cum Alarico respueret, ille Romanos ad Attalum præfectum urbis purpura exornandum coegit. Heraclianus Africæ comes, statu Honorii Imperatoris perfecto, postquam judicem ab Attalo missum extinxit, portus Africæ tanta diligentia custodivit, ut universam mercatorum navigationem ademerit; neque frumentum, neque oleum, neque res alias ad victum necessarias in portum Romanum invehi passus sit. Qua de re rursus tanta Urbem invasit inopia, ut populus castaneis pro frumento se sustentarit. Auxerunt autem penuriæ magnitudinem agri bello superiore inculti, & dardanarii ea spe, quidquid frumenti habebant, supprimentes, ut

A tes, ut omnium pecunias ad se transferrent, eo pretio vendituri, quod ipsi statuissent. Quare cùm timeret populus, ne in corpora humana rabies famis adigeretur, ludis Circensibus exclamavit: Precium pone carni humanæ. Inde penuria adeò crevit, ut memoriæ proditum sit, matres aliquot in parvos infantes famis impotentia desevisse. *Sigonius libro decimo, Imperat. occid.* Hæret vox (inquit D. Hieronymus) & verba singultus intercipit. Capitur Urbs, quæ totum cepit orbem: imò fame priùs perit, quàm gladio; & vix pauci, qui caperentur, reperti sunt. Ad infandos cibos erupit esurientium rabies, & sua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit filio, & recipit utero, quem nuper effuderat.

Tyrus urbs à Venetis & Latinis reliquis fame capta fuit anno 1124. Kal. Julii. Quinque tantùm frumenti modii in urbe reperti. *Tyrius.*

Romani, cùm famis impotentia duriùs sibi consulere cogerentur, Pelagium Diaconum ad Totilam, urbem obsidentem, rogatum miserunt, ut paucorum sibi dierum induciis daret, ea lege, ut si intra id tempus nullum Con- B stantinopoli auxilium accessisset, deditionem urbis, suique perficerent. Quem ut Totilas vidit, ultrò alloquutus monuit, ne tria hæc à se postularet: Ut Siculis parceret, ut urbis mœnia conservaret, ut servos restitueret; reliqua se liberiùs indulturum. Itaque Pelagius legationem ad Deum rejecit, qui supplicum odisse contemptores soleret; & irrita legatione rediit. Romani lacrymarum sordiumque pleni, Bessum & Cononem Græcorum duces appellavere, petentes, ut aut sibi tanquam servis alimenta suppeditarent, aut si id non possent, manus inferrent, neque honestam mortem inviderent, atque uno ictu Romanos infinitis miseriis liberarent. Quibus præfecti responderunt, neque commeatus dare, suæ facultatis, neque manus inferre, uæ pietatis esse: Belisarium autem affirmare, se propediem cum auxilio affuturum. Fames inde gliscens cibos quosdam absurdiores, & à natura alieniores assumere compulit. Præfecti verò frumenti maximum numerum sibi, fraudatis sua necessitate militibus, in urbe sepositum, primoribus civibus magna pecunia vendiderunt; nam medimnus septem aureis stetit. Qui verò non tantas habuere C facultates, quarta ejus pretii parte depensa, ac furfure empto, panem ex eo, ut sordidum, sic in tanta necessitate suavissimum, confecerunt. Bos aureis quinquaginta à Bessa est venditus. Alii equos, alii urticas, atque herbas alias, in locis incultioribus emergentes ederunt: qui pecunia caruerunt, domesticam supellectilem pro diurno cibo mutarunt. Ubi frumentum omninò consumptum est, cuncti ad urticas, canes, muresque se contulerunt. Hinc macie extenuati, colorem statuarum similem contraxerunt; atque aut incedentes, aut mandentes exanimati sunt. Fuisse etiam dicuntur, qui ciborum loco excrementa corporum asciverunt. Vir quidam à filiis quinque rogatus, ut panem præberet, dolore dissimulato, eos se subsequi, tanquam accepturos, jussit; ubi verò ad Tiberis pontem pervenit, in flumen se capite obvoluto præcipitavit, filiis, cæterisque regionis ejus Romanis spectantibus, ac casus ejus diritate attonitis. Quidam etiam sævos morsus in sua membra verterunt. Quare præfecti ea civium desperatione perculsi, iis qui exire urbe vellent, pecunias tradiderunt, ac, quò liberet, copiam abeundi fecerunt: ita, paucis ex- D ceptis, omnes exiere, quorum plerique, arescentibus præ inedia membris, passim, nonnulli ab hostibus intercepti, periere. *Sigonius libro 19. Imper. occid. ex Procopio.*

Anno CCCC. L. tanta in Italia annonæ penuria laboratum est, ut multi fame adacti, filios & parentes suos, pretii habendi causa, vendiderint. Itaque Valentinianus III. Imperat. ad Ætium Patricium Roma scripsit hoc modo: Cùm obscœnissima fames proximè per totam Italiam desævierit, homineque filios & parentes vendere, ad discrimen instantis mortis effugiendum, coacti sint: ego revocans constitutiones majorum, venditionem censeo submoveri, quam prædicta fames ingenuorum fieri persuasit. *Sigonius lib. 13. Imp. occid.*

Anno CCCCC. XLVI. Romani, qui Placentiæ erant, inopia rei frumentariæ usque adeò laborare fame cœperunt, ut carnes humanas esui adhiberent. Quibus malis adacti, semet cum urbe Totilæ Gothorum regi dediderunt. *Sigonius lib. 19. Imper. occid.*

Anno CCCCC. XXXVIII. quo Vitiges Mediola- E num recepit, frumentum in agris Italiæ sua sponte maturuit, sed minore, quàm antè, copia; ut quod neque satum, neque humo contectum esset, sed propter nimiam maturitatem in terram excidisset. Hinc inopia Mediolani subsequuta, tantaque tum in Lyguria ciborum penuria laboratum, ut matres famis impotentes, rabiem ejus in liberos exercuerint. Æmiliæ incolæ, propriis sedibus relictis, in Piceno abierunt, majorem ibi copiam propter maris opportunitatem se inventuros sperantes. Tusci eadem de causa inopia pari afflicti, in montibus panem è glandibus commolitis confectum esitarunt; unde vulgaris morbis plerique absumpti sunt. In Piceno non minùs quinquaginta millia hominum perierunt, & extra Jonicum sinum multò plures; nam, deficiente cibo, omnes maciem ac pallorem eximium contrahebant: fel autem nimium abundans, cùm corpora ipsa vi sua infecisset, haudquaquam sinebat suo pristino cursu venas defluere: cutis præterea obdurata, corio persimilis erat, utpotè ossibus ipsis inhærens, & colore livoris in nigredinem commutato; unde homines facibus F exustis similes videbantur, eorumque facies stupida, & torvus ac furiosus aspectus erat. Passim igitur moriebantur, partim inedia, partim saturitate; nam, calore omni extincto, quem natura intùs exusserat, siquis eos fortasse ad satietatem explevisset, quòd ingestos minùs digererent cibos, celeriùs interibant. Fuere, qui fame cogente, se invicem conficerent. Feminæ etiam duæ viros septemdecim interfectos absumpserunt: hæ namque, cùm solæ domi, cæteris mortuis, superfuissent, divertentibus ad se peregrinis, & per noctem dormientibus interfectis, vescebantur: cùm autem eum numerum oppressissent, octavus decimus somno excitatus, conatibus earum præcognitis, eas necavit. *Sigonius lib. decimo octavo Imper. occident. Procop.*

GILIMER Vandalorum rex Carthagine pulsus, è Phara Belisarii duce in monte Papua trimestri cinctus obsidione, tum quòd ipse viscerum tormentis cruciaretur, tum etiam quòd horum, qui cum eo erant, calamitatem diutiùs spectare non posset, corpore pariter & animo affligi cœpit. Viderat enim rem valdè indi- G gnam & odiosam. Mulier quædam Maurusia frumentum contusum, torrendum supra cratem posuerat: juxta eam sedebant duo pueri valdè famelici, alter ipsius feminæ filius, alter Gilimeris nepos ex fratre: illi expectabant, ut ederet. Accessit Vandalus, & massam nondum coctam abstulit, eamque ferventem adhuc, cinereque refertam in os conjecit. Alius quidam hunc capillis apprehendens cæcidit, & massam semidevoratam è faucibus eripuit. Gilimer, rebus omnibus desperatis, tandem ad Pharam de deditione scripsit, & se in ejus potestatem tradidit. Is cum suis ad Belisarium Carthaginem eum deduxit, à quo honorificè est susceptus, & cum dignitate custoditus. *Procopius de bello Vandalorum libro quarto.*

* Postea anno Christi 850. gravissima fames Germaniæ populos oppressit, maximè circa Rhenum habitantes: nam unus modius frumenti Moguntiaci vendebatur decem siclis argenti. Morabatur autem eo tempore Rabanus Archiepiscopus in quadam villa parochiæ suæ, cui vocabulum est Vvinzella; & pauperes de diversis locis ve- H nientes suscipiens, quotidie plusquam trecentos alimento sustentabat, exceptis his, qui in præsentia illius vescebantur assiduè. Venit autem & mulier quædam penè consumpta inedia, cum puerulo, inter cæteros retocilari desiderans; quæ prinsquam limen portæ transcenderet, præ nimia imbecillitate corruens, spiritum exhalavit; puer verò mammillam matris mortuæ quasi viventis de sinu protrahens, & sugere tentans, multos intuentes gemere & flere coegit. Quidam etiam in illis diebus de Grabfeldem cum uxore sua & filio tenero in Thuringiam proficiscens, ut malum inopiæ temperare posset, uxorem in itinere in quadam sylva sic affatus est: Nonnè, inquit, melius est, ut puerum istum occidamus, & manducemus carnes ejus, quàm omnes inedia consumamur? Illa verò contradicente, ne tantum scelus committeret: tandem urgente fame, filium de brachiis maternis per vim rapuit; & voluntatem opere complesset, nisi Deus illum sua miseratione prævenisset. Nam

A sicut idem postea in Thuringia positus, plurimis retulit, cum evaginasset gladium, ut mactaret filium, & in ancipiti positus, necem distulisset, vidit eminùs duos lupos super unam cervam stantes, & lacerantes carnes ejus. Statimque parcens filio, ad cadaver cervæ cucurrit: & lupos inde abigens, tulit de carnibus prægustatis, & cum incolumi filio ad uxorem reversus est. Priùs enim, quando filium tulerat de manibus matris, paululùm ab ea declinaverat, ne illa morientem puerum videret & audiret. At illa veniente marito, videns recentes carnes & cruore perfusas, putabat filium occisum, & cecidit retrorsum penè exanimis. Ille autem accedens, consolatus est eam, & erigens illam, ostendit puerum viventem. Tunc illa resumpto spiritu, Deo gratias egit, quia filium sanum recipere meruit: nec minùs ille, quia eum Deus à liberi interfectione innocuum dignatus est conservare. Ambo tamen carnibus lege prohibitis, necessitate coacti se recrearunt. *Ex Pithœo in Annal. Franc. Baron. tom.* 10. 850. 15.

* Cum Basilicus Imperator octo menses super annum tyrannidem exercuisset, omnibusque ob ejus avaritiam, & B aulicis & militibus infensus esset, à Zenone tandem exercitu petitus est. Ubi amborum copiæ in conspectu fuere, Armatus (sic enim nomen duci erat, qui ab eo missus fuerat) Zenonis ducibus se cum toto tradit exercitu. Igitur Constantinopoli Basilicus acceptæ cladis, & proditionis nuncio, protinus in templum confugit: ubi captus ab Acacio Præsule Constantinopolitano, ob ejus impietatem, ac Zenoni traditus est: Nam ab Orthodoxa fide deficiens, in Eutychianam sectam inclinaverat, omnemque vitam pessimis moribus inquinaverat; ex quo, odio cunctis erat. Zeno rursum Imperium reperens, Armati officium ante omnia probavit. Verùm paulò pòst eum in suspicionem venientem de medio sustulit: Basilicum autem tyrannum simul cum uxore & filiis in Cappadociam mittens hyemis tempore, jussit, neque veste, neque cibariis juvari. Ex quo breviter unà se complexi corpotibus, collacrymantes miserè perierunt: unde tyrannidis pœnam brevi tempore dedit. Tali fine clausit vitam impius Basilicus, uti fame periret, qui (inquit Suidas) pecuniam exegit ab Ecclesiarum Episcopis, & Acacium Constantinopoli Episcopatu C propemodo repulisset, nisi à multitudine eorum, qui monachi dicebantur, reprehensus fuisset. Homo insigni avaritia, ut ne cerdonibus quidem, & contemptis opificibus parceret, omniaque essent plena lacrymarum inter illas exactiones. *Procop. de bello Vandal. lib.* 1. *& Suid. in Basilic. apud Baron. tom.* 6. *ann.* 477.

Anno 1083. gravis adeò in Italia annona fuit, ut, quod dictu nefas videatur, præ victus inopia multæ matres in liberos fame solicitatæ sævierint. *Sigonius libro nono regni Ital.*

Anno 1177. quo pax inter Alexandrum III. Papam, & Fridericum I. Imperat. Venetiis composita fuit, & libertas Italicis urbibus data, Italia summa rei frumentariæ inopia laboravit, frumentum solidis argenteis triginta duobus in singulos sextarios stetit. *Sigonius libro decimo quarto regni Ital.*

Sub Michaele filio Constantini, Duce Imperatoris, tanta penuria annonæ per Græciam facta est, ut non totus medimnus numismate aureo emeretur. Hæc publica infelicitas indidit Imperatori cognomen Parapinacei, quod D significat, Ad scutellam, sive Ad tabulam. *Cuspinianus.*

Magna fuit fames sub Romano Argyropolo Imperatore in Cappadocia, Armenia, & Paphlagonia, locustis penè omnem Orientem vastantibus. Ob quam penuriam multi desertis patriis transmigrare aliò coacti sunt, quos auri distributione Imperator fovebat.

Anno 968. terræmotus factus, & cometa apparuit. Anno sequenti, sol eclipsin passus est, quam maxima in Germania fames secuta est.

Anno Christi 1095. fames gravissimè omnes afflixit, pauperibus per furta & incendia ditiores graviter vexantibus. *Sigeberius in Chronicis.*

Anglia Danorum & Normannorum armis miserè infestata, sub Guilielmo rege, omnium animis novo semper bello occupatis, intermisso cultu agrorum, tanta fames in Anglia, & Scotia exorta est, ut apud eas gentes renovata sit memoria carnis humanæ gustandæ. *Æmilius libro* 3.

Refert Avenzoar Arabs, quandoque in Arabia eò ventum penuriæ, ut cadavera mortuorum è sepulchris eruerent homines, medullæ causa. *Cardanus de Rerum varietate libro* 8. *cap.* 45. E

In Gallia fames permaxima grassata est anno Dom. 1146. in qua Ecclesiarum Christi enituit liberalis munificentia, quæ in sustentationem pauperum multa expenderunt modiorum millia. Quo tempore in Lingonensi parochia apud Morinandum, ubi pauperes innumeri quotidianè pe alebantur, quidam homines occidisse, & eorum carnes coctas vendidisse deprehensus, & à pauperibus patibulo est appensus. *Robertus Abbas in Chron.*

Deficientibus Gothalanis, Joannes Aragonum rex, à Ludovico rege Gallorum trecenta millia aureorum, quos Galli coronas vocant, mutuatus, ei, donec mutuum persolveret, oppidum Perpignanum, totamque provinciam Roscinonis oppignneravit. Cæterùm Gothalanico bello confecto, & Perpignani cives, aliique populi finitimi, qui Gallorum mores & imperium molestissimè ferebant, quotidie Aragonum regem evocabant. Ludovicus & amissionem pecuniæ, & Perpignanensium defectionem veritus, F magnum exercitum in Hispaniam misit. Joannes frustra Perpignanensibus persuadere conabatur, ut tantillo tempore Gallis parerent. Ab iis, qui arcem tenebant, Gallis à tergo, à fronte 40. millibus Gallorum pressi, sola fame domari potuere. Multis diebus nihil præter mures ac feles & domesticos canes, quos mulieres per vicos oppidi linteis & longis latisque palliis venabantur, manducavere. Quibus etiam deficientibus, non solùm Gallorum, quos occiderant, sed suorum quoque cadavera devorarunt. Nonnullæ mulieres cum peperissent, rabie famis agitatæ, utero suo continuò fœtus reddiderunt. Aliæ matres suos ipsæ filios, sive fame, sive alio casu peremptos miserabilibus lachrymis aspersos comederunt. O rarum famis, & extremæ necessitatis exemplum! Quod in Hispania tamen tertiò tunc accidit, bis jam olim, & Numantinis à Romanis obsessis, & Saguntinis à Carthaginensibus. Sed Perpignanensium fuit tolerantia major, qui cùm tot mala, suo etiam Rege hortante, vitare potuissent, noluerunt. Tandem honestas à Gallorum ducibus oblatas de pace conditiones, ut & cives honorificè benignèque tractarentur, & equites cum armis & equis discederent, acceperunt. *Marineus lib.* 18. *rerum Hisp.* G

Cùm Domaldri Sueonum & Gothorum tyranni satellites frumentum suis equis devorandum apposuissent, & interim infelices parentes viderent liberos suos fame atque inedia perire (tantum à Visburo spoliati, ut nec agris seminandis, nec liberis in vita conservandis sufficerent) famesque non modò Gothiæ regnum, sed & Sueciam depopularetur: unicum remedium à templorum pontificibus, qui Othino idolo Upsaliæ ministrabant, inventum, ut regem Domaldrum, tanquam atrocem humani generis hostem, vinculis constrictum, apud Upsaliam deæ Cereri immolarent. Itaque à consternato populo Domalder ex Gothia in Vespaliam ductus, grata victima Cereri, sive genero ejus Plutoni, immolatus fuit. Post cujus fata, frugum, rerumque omnium abundantia longè latèque successit. *Ioan. Magnus libro septimo cap.* 21.

Gotharo rege Sueonibus & Gothis imperante magna H fuit fames, non ob terræ sterilitatem, quæ superabundantem partem cultori rependere consuevit, sed quia agricolæ vomeres in gladios converterant. Quidam consulebant, senes, & pueros, omnemque imbellem ætatem, ferro extinguendam. Tandem communi omnium incolarum consensu decretum est, ut in tres turmas dividerentur: quarum tertia, cui sors evenisset, sedes in alienis terris, vi, vel gratia acquireret. Hi ergo duos præstantis animi juvenes, Haconem, & Hibbonem, duces, quibus parerent, elegerunt. Deinde in Moringiam, & civitatem Calmarinæ (quæ caput est Gothiæ Meridionalis) profecti, classem transvehendæ multitudini idoneam nacti, in insulam Gothlandiæ, deinde in Teutonica littora se contulerunt. Postremò evictis maximis difficultatibus, per Pannoniam & Bulgariam, in Italia, victis Gothis, regnum Longobardorum fundaverunt. *Ioann. Magnus lib.* 8. *cap.* 17. *ex Sabellico.* Sed *Saxo lib.* 8. Snione Danis imperante hoc factum scribit, & posteriorum consilii auctorem fuisse Gambaruc, matrem Aggonis & Ebbenis ducum.

Quo

A Quo tempore Scotia Eduardi Callioli & Davidis Brusii regum factionibus conflagrabat, tanta fame laboratum est in Anglia pariter & Scotia, ut equos, canes, feles seu catos, ac similia, penuria aliarum rerum ederint. Traditum insuper à quibusdam est, eò inopiæ redactos quosdam, ut diutinam famem non ferentes, pueris à vicinis sufuratis miserabili calamitate non pepercerint. *H. Boethius lib.* 15.

Civili bello attritis Scotorum viribus, Pictos in Orcadas fugere compulerunt Britanni, Scotos verò in arce Berigonio, quò se Rheuter rex receperat, obsidione premebant arctissima. Scoti consumpto omni frumento, ne in hostium venirent potestatem, mutua cæde sortitione facta, vitam aliquamdiu toleravere. Facta inde eruptione, Colanus Novantæ gentis princeps, cum suis fortiter pugnans occubuit, sed spatium interim dedit Rheuteri regi ad mare fugiendi, & in Hiberniam trajiciendi. Mulieres Novantæ quæ è proximis monticulis accuratiùs rem omnem, quo fiebat ordine, contemplabantur, confectos vulneribus occumbentes viros ante oculos intuentes, ne in turpem devenirent servitutem, aut mutuis vulneribus sese interemerunt, aut laqueo vitam finientes mortem sibi conscivere. B *H. Boethius lib.* 2.

Hebridum insularum incolæ rebelles ab Ethodio Scotorum rege, in saltu quodam sese incautiùs abdentes, fossa septi & vallo, eò redacti sunt inopiæ, ut consumpto commeatu, arborum frondibus & herbis priùs, deinde earum radicibus, & illis absumptis, humanis excrementis cibi loco vesci cogerentur. Tandem fame domiti, pacis conditiones accepere, ut dux & ducenti ex omni conjuratorum multitudine victoris arbitrio delecti ad se venirent, supplicium primatum arbitrio subituri: cæteri depositis armis, liberè abirent in Hebrides. *H. Boethius lib.* 5.

Anno Sal. 1098. tanta fuit in Scotia fames, ut hordei modius quinque coronatis aureis ægrè comparari posset. Mox sequente anno, tanta omnium rerum ubertas fuit, quanta nunquam antea audita. Quo anno Alexander primogenitus Guilielmi regis ex Ermengarda regina natus est. *H. Boethius libro decimotertio.*

Cæso per nefas rege D. Canuto, Dani Olaum ejus fratrem, qui ob regni affectationem in Flandriam relegatus C erat, revocarunt. Scelus publicum publica quoque pœna subsecuta est, fames ingens, quæ solam Daniam vexavit, non autem vicinas regiones. Quippè per tot annos, quot Canutus imperaverat, verni æstivique temporis fervore satum omne coaruit: autumnale verò adeò pluvium fuit, ut si quid locorum humiditate plausitive madore alitum succrevisset, perseverranti imbrium inundatione decideret. Camporum facies cœlestibus imbribus inundata, latè patentis stagni speciem præbere videbatur; & quod æstas ægrè produxerat, autumnus opprimebat. Rustici aquis campos tegentibus, supernatantia spicarum capita demetentes naviculis excipiebant: ac deinde putres aristarum reliquias fornacibus exsiccabant, & quia panem præstare non poterant in usum pultis vertebant. Maxima proinde populi pars inedia consumpta fuit. Rex ipse ad ultimam tabem redactus, agris vænire jussis, alimenta possessionum pretiis comparabat. Mobilibus in eundem usum ingenuitatis insignia erogare, rubori non fuit. Olaus cùm bis penè lustrum regnando condidisset, inter continuas rei familiaris angustias, nihil regali magnificentia dignum exequi poterat. D Sed & finitimos, paupertatis ejus contemptu, eum armis invadere puduit. Cùm divinum Christi natalem celebrans, jejunos circumquaque penates aspiceret, obducto manibus capite, suffusoque lacrymis, vultu, per summam animi ægritudinem temporis difficultatem gemitu prosecutus est. Deinde supplicatione habita, auctorem omnium Deum, ut si quid iræ adversùs populum concepisset, suo unius periculo satiaret, oravit. Nec difficiles numinis aures habuit: siquidem celerem fati viam obtinuit, sibique mortem, salutem patriæ peperit. Fortuna siquidem famem cum auctore suo pari funere extulit, inediamque satietate mutavit. *Saxo libro decimo.*

Anno Christi 1315. ac deinde anno uno interjecto, iterum duobus annis, tam acerbè Poloniam omnem fames afflixit, ut nullo, quamvis fœdo, edulii genere, nec cadaveribus quidem humanis vulgò abstineretur, & parentes in liberos, & hi vicissim in illos sævirent. Famem dira pestis consecuta est. *Cromerus lib.* 11. Itidem anno 1468. pestem latè grassantem annonæ caritas excepit, & hyberni cœli intemperie, & intempestivo calore ac siccitate, coorta ingenti multitudine murium, qui horrea depasti, cum se in agros effudissent, segetes quoque hybernas virescentes radicitùs arroserunt. *Idem libro* 27. E

Anno Domini 1569. centum quinquaginta Rustici ad ædificandam arcem Orlo à Joan. Basiliade Moschorum tyranno missi, coacti sunt ob annonæ penuriam ex suis novem mactare, & illorum carnibus vesci. *Alexand. Guagninus in Moscovia.*

Anno à Christo M. CCCC. XXXIX. in Thuringia panis inopia innumeri mortales periere, ita ut omnes per totam regionem viæ, omnesque in urbibus, vicis, ac villis plateæ mortuis corporibus refertæ essent. Sequuta est pestis, quæ multa hominum millia absumpsit. In hujus rei memoriam Erfordienses pistores singulis annis, die divo Marco sacra, qua institutæ supplicationes celebrantur, panes minutos, quos ob id Marcesios appellant, pinsunt, vænumque proponunt, vix exigui orbiculi, qualibus torques aurei conficiuntur, magnitudinem referentes: cùm F singuli tribus nummis ejus regionis usitatis coemerentur. *Leonard. Fuschsius lib.* 2. *Instit. Med.*

Bello Ligustico quarto, Sardoræ Insulæ (quæ Liburniæ adjacet) incolæ Arbenses, Veneti imperii studiosissimi, ac sæpiùs eo bello oppugnatione tentati, omnia extrema pati maluere, quàm à Veneto imperio alienari. Chinatius, qui ultimum bellum Ligusticum diligentissimè scripsit, auctor est, diù nullum panis usum inter Arbenses fuisse, ac lege cautum, ne quis panem nominaret: carnes & lacticinia victum præbuisse. At verò atrocissimis oppugnationibus fracti, non quam ipsi facturi erant, sed quæ impetrari ab hoste potuit, deditionem fecere. *Sab. lib.* 7. *Dec.* 2.

Syndoroviam Serviæ regiam contra Amuratem II. soli omnium Novomontani & Samandrini memorabili fide & virtute quadriennio defenderunt, tanta rerum omnium inopia, ut super vetitos obscænosque cibos reperti sint, qui fame adacti, suas ipsis corroserint manus; postremò inedia victi, cum Gregorio Principis filio ultrò in hostium potestatem venere. Sic Syndorovia expugnata cum centum armatorum millibus. *Cuspinianus.* G

Eo anno, quo hæc prodebamus, inquit *Sabell. lib.* 10. *c.* 7. nonnullis Flaminiæ regionis & Picenis agri locis, tanta rei frumentariæ caritas incidit, in magno Italiæ motu, ut agreste & inops vulgus ultimum remedium invenerit in arborum radicibus, & herbis arefactis, tusisque, & in panis speciem subactis.

Obsessa à Venetis & Gallis Verona anno Salut. 1516. defendente eam M. Antonio Columna, Cæsaris Maximiliani nomine, ad id penuriæ ventum est, ut cùm vix lentem & fabam, paniceaque pultaria in quotidiano usu haberent, equinas atque asellorum carnes magno in honore ducerent: & tum præsertim opiparè apud ducem epularentur, quum aliqui Gallorum equi, ut erant præpingues, ac suis strigosioribus & fame propè enectis minimè comparandi, in excursionibus occiderentur. Nam conspectis statim equorum cadaveribus, portis frequentes evolabant, conci sosque in frusta, humeris in urbem cum plausu referebant *Sabell. supplement. libro octavo ex Iovio.*

Expugnata anno 1527. pridie Kalend. Majas, Roma, atque arce, in qua Clemens VII. Pp. confugerat, diligenter circumvallata obsessaque: Clemens consumpto commeatu, ita ut asinina etiam carne, invitatis quoque quasi ad solennes epulas Patribus avidissimè vesceretur, desperatis omnibus effugiis, deditionem fecit, ea conditione, ut cuncta, quæ imperasset Cæsar, se facturum polliceretur, à quo dignas ejus pietate fideque literas expectabat, quibus stipendio militi persoluto, sibi sacrosanctum Urbis imperium cum libertate redderetur. *Iovius in Pomp. Columna.* H

Gallos, qui Novariæ à Venetis obsidebantur, magis magisque in dies rerum omnium egestas atque inopia premebat, ut equis in escam uti cogerentur: complureque corruptis farinis, aut pane furfuraceo vescentes, tum aquæ potu, quo Galli Germanique minimè omnium uti solent, interirent. *Bembus lib.* 2. *Hist. Ven.*

* Anno 1315. pluviæ tota æstate famem & pestem adduxerunt, quibus tertia pars viventium absumpta perhibetur. *Funcius sub annum Christi* 1315.

* Anno 1316. tanta fuit frumenti penuria, ut Gorlicii homi-